



Ecclesiæ Theologicæ

Disputatio IV.

opposita,
Abominationi Pontificie, in loco

De

ANTI-CHRISTO,

Continens problema

An Papa Romanus, Sacer ille homo,
sit AntiChristus?

In Collegio Privato,

CHRISTO Servatore docente

& adjuvante

Ad examinandum,

proposita,

In Academiâ Lipsiensi
die 23. Februar. Anno 1619.

Præside

M. THOMA WEINRICHIO,
SS. Theol, Baccal. Diac. ad D. Nicol. ibid.

Respondente

M. GALLO SCHACHERO Lipsiensi, SS. Theol.
Studioſo.

Lipsie,

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.



VIRIS

Reverendis, Amplissimis & Clarissimis

Dn. VINCENTIO SCHMUCK, SS. Theol. Doctori, ejusdemq; Facult. Seniori, ac P.P. in Academia Lipsiensi, ejusdemq; Ecclesiae Superintendenti vigilissimo, Judicij Ecclesiastici Assessori, Canonico Misnensi &c.

Dn. BALTHASARI MENTZERO, SS. Theol. Doctori, ejusdem in inclita Giessenâ Profess. Publ. & Stipendiariorum Ephoro dignissimo.

Dn. HEINRICO HÖPFNERO, SS. Theol. Doctori ac Profess. publico in Acad. Lips. &c.

Dnis. Patronis, Mecœnatibus, Fautoribus ac Præceptoribus suis omni observantie studio prosequendis.

NEC NON

Prudentissimis ac integerrimis Viris

Dn. Hartmano Schachero, Senatori ac Mercatori Reipubl. Lips. optimo, Parenti suo plurimum honorando.

Dn. Petro Heinzie, Senatori ac Mercatori Lipsiae laudatissimo Affi- ni ac Fautoris suo colendo.

Disputationem hanc Theologicam
humiliter nuncupare voluit

M. Gallus Schacher
RESPONDENS.

ΣΤΝ ΘΕΩ.

Ἐξεῖσθι εἰλεγούση

ABOMINATIONIS PONTIFICIAE,

In loco

DE ANTICHRISTO MAGNO.

THESIS I.

Nter cæteras controversias, de quibus, quo ad insi-
gnem & augustissimam de ECCLESIA articulum, inter nos & Pou-
tificios disceptatur, cum proximis disputationibus ex immotis Scri-
pturæ fundamentis satis superq; demonstratum sit, Ecclesiæ regimen
in hisce terris non debere esse Monarchicum, siquidem neq; de ne-
cessitate, neq; de utilitate & salute Ecclesiæ sit, ut præter unicum illud sumnum ac
universale caput Ecclesiæ CHRISTUM JESUM alias insuper generalis ac visibi-
lis Ecclesiæ Episcopus præficiatur, qui tanquam Monarcha omnibus præsit, & ab-
solutam habeat potestatem & jurisdictionem super omnes, adeò ut à nemine judi-
cari debeat: consequens jam est, ut quid de eo etiam, qui pro ejusmodi Monarcha
& visibili Ecclesiæ Imperatore haberi vult, talemq; sese venditat, statuendum & sen-
tiendum sit, penitus dispiciatur.

2. Talem verò esse ipissimum AntiChristum magnum, & consequenter ipsum
Papam Romanum, quandoquidem ejusmodi primatum affectat, immotis permotis
Scripturarum oraculis firmiter credimus: Jesuitis interim, utpote AntiChristi
mancipiis, suum hunc, quem ipsi colunt & adorant Papam, AntiChristum esse for-
titer & impudenter pernegantibus, & alium quendam, nescio ex quâ Utopiâ multò
post (ad Calendas fortasse græcas) venturum garrientibus, ut ita animos hominum
in suspenso relinquent, & Papam, tanquam verum AntiChristum è latibulis Roma-
næ Babylonis in lucem & conspectum orbis protractum, suis quoq; hominibus for-
dere & fœtere, quantum quidem in ipsis est, prohibeant.

3. Unde etiam præ cæteris imprimis Robertus Bellarminus, poculo magnæ il-
lius metetricis inebriatus, Pontificem suum à suspicione AntiChristianismi libera-
re volens, controversiam hanc ex professo per integrum librum 3. De Rom. Pont.
ita pertraet, ut ex locis quibusdam Scripturæ contortis & malè intellectis, ad ocu-
lum demonstrare conetur, AntiChristum 1. individuum quoddam singulare & ho-
minera numero unam futurum, 2. ipsum vocatum iri proprio nomine, cuius literæ
in numeros resolutæ 666. confiant, 3. habiturum characterem quendam externum,
& in oculos incurrentem, 4. eoq; suos notaturum, vel in manu dextrâ, vel in fron-
tibus, 5. Judæum futurum, & à Judæis pro Messiâ receptum iri, 6. sedem suam Je-
rosolymis collocaturum, 7. ignem de cœlo descendere facturum, 8. semetipsum à
mortuis resuscitaturum, 9. universum orbem terrarum debellaturum, & suo sub-
acturum imperio, &c. saltem, ut hisce deliramentis, & ejus generis aliis quam plu-

A 2

rimis,

timis, hæreticis, quos vocat, sufficienter probasse videatur, non solum Papam suum Romanum, non esse AntiChristum, sed ne hunc quidem ad præsens usq; momentum venisse in mundum, eō facilius persuadeat.

4. Nobis verò, cum ex sacris literis satis exploratum sit, quis sit ille AntiChristus? quibus itidem ille notis, proprietatibus, signis atq; coloribus, penicillo Spiritus S. graphicè depictus, suisq; lineamentis ad vivum expressus, ob oculos nobis sit positus, visum est, de hāc quoq; controversiā in præsentiarum peculiarem & placidam instituere οὐζήτησιν, præsertim, cum hoc Religionis Christianæ caput ita comparatum sit, ut qui ex verbo D E I sibi persuasum tenet, Papam esse AntiChristum Magnum, qui juxta Prophetarum & Apostolorum oracula venturus erat, is facile deinde eum, tanquam nocentissimum animarum lupum, quem cavendum S. S. ipse diligent studio præmonuit, evitare, totiq; ipsius regno renunciare, nec nou ad orthodoxam reformatarum nostrarum Ecclesiarum confessionem propè nullo negocio perduci possit.

5. *Cardo* igitur huius *disputationis* in eo tantum versabitur: *An Papa Romanus sit AntiChristus Magnus, quem tempore N. T. exoriturum Daniel Spiritu batidico, & post hunc CHRISTUS ipse, Paulus, Petrus & Johannes ex Spiritu sancto prænunciârunt?*

Hanc quæstionem præsenti disputatione delibare placet, eamq; ad trutinam verbis divini appendere.

Ἐνθεοις τῶν διδούμενων.

6. Initio igitur contra primatum Pontificis Romani disputaturi, eundemq; ipsissimum AntiChristum esse, immotis sacrarum literarum fundamentis, indubitateq; Prophetarum, C H R I S T I, & Apostolorum vaticiniis cum eventu collatis demonstraturi, ad ipsam vocis tūm Papæ tūm AntiChristi homonymian nos conferimus.

7. Papam ergò cum hīc dicimus aut Pontificem, nequaquam intelligimus Episcopos pios, fideles, sacrarum literarum & gregis sui studiosissimos, quales sine dubio plurimos Romæ fuisse constat, antequam Satanas pestilentia suæ cathedram inter Romanos Episcopos collocavit: sed notamus præfules illos summos, gemmis radiantes & auro, post Gregorii Magni & Mauritii Imperatoris obitum, qui διπλασία à C H R I S T O, & secessione ad Diabolum factā, Romæ hominum fidei pariter & saluti dominantur, & instar terreni alicujus Monarchæ præ merâ regnandi libidine dominatum sibi constituunt, eumq; tūm excommunicationis fulmine, tūm indulgentiarum nundinatione, tūm aliis rebus illicitis, quæstum facientes muniverunt atq; roborârunt. Sic quoq; AntiChristi vox non unam semper & eandem ubiq; significationem obtinet, sed duobus potissimum modis usurpatur in Scripturâ.

8. *Primò* κοινῶς & communiter sumitur, pro quovis adversario sive contrario, qui doctrinæ C H R I S T I, cuius se sectatorem profitetur, quoquo modo adversatur. Et hoc sensu omnes hæretici, qui vel inde ab Apostolorum temporibus extitère, vel etiamnum existunt, falsa spargentes dogmata, doctrinæ per C H R I S T U M cælitùspatefactæ, & ē finu aterni Patris prolatæ contraria, AntiChristi perhibentur, 1. Joh. 2. v. 18, & 22. cap. 4. v. 3. 2. Joh. v. 7.

9. Deinde

9. Deinde idem & propriè accipitur, vel de certo quodam regno, sive sede apostolicâ, CHRISTI regno contrariâ; vel per Synechdochon pro summo, præcipuo & maxime insigni in hoc regno CHRISTI adversario, qui Ecclesiae præsidet, & præ cunctis reliquis horribilem in Ecclesiâ vastitatem introducens, omnes gentes & populos poculo errorum & abominationum suarum inebriare solet; Et hunc nat' εξοχην Scriptura AntiChristum Magnum appellat.

10. Hunc verò AntiChristum nullum esse alium, præter Pontificem Romanum, & quidem hunc solum, demonstrari potest argumentis numerò benè multis, & pondere longè gravissimis, firmitateq; suâ planè inconcusso, quæ neq; infringi ob firmitatem, nec ob evidentiam & perspicuitatem satis firmiter eludi possunt. Verum sufficiat hoc loco vel unicus hic syllogismus prorsus apodicticus.

11. Cuicunq; competit definitio AntiChristi, is verissimè est AntiChristus, proq; AntiChristo sine omni dubitatione est habendus.

Papa Romano post tempora Gregorii Magni competit definitio AntiChristi.

Ergò Papa Romanus post tempora Gregorii Magni est verissimè AntiChristus, proq; AntiChristo sine omni dubitatione est habendus.

12. Major hujus syllogismi vel ex adversariorum concessione adeò firma est, ut probatione ullâ non indigeat. Assumptionem igitur, quam totis viribus impugnant aulæ Romanæ parasiti, probari à nobis necessum est, id quod hâc vice: sed Διὰ Βεργέων expediemus, audituri simul, quid in contrarium ab adversariis affiri soleat.

13. Erunt igitur duo potissimum distincta capita, quibus hanc controversiam expediemus, quorum prius erit Ἰετινὸν, & priorem Ecclesiarum nostrarum doctrinam de hoc negocio certis quibusdam thesibus comprehendet, quid non tantum & qualis sit AntiChristus: sed etiam quis sit, videlicet nemo aliis, nisi solus Pontifex Romanus. Posterior erit αὐτὸν, adversariorum nostrorum falsas hypotheses & argumenta refellens, quibus in gratiam & emolumentum adamatae suæ Babylonis, & qui ibi Satanæ sedem obtinet, Pontificis, in mysterio hoc iniquitatis, vel palliando & tegendo, vel quoquo modo firmando, dum conservare nequeunt, uti consueverunt.

C A P U T P R I M U M.

Kατασκασικὸν.

14. Priorem hujus controversiæ partem quod attinet, quid nimirum, & qualis sit AntiChristus, probè tenendum est, hanc descriptionem neq; ex fabulis humanis, licet antiquitate clarissimis, neq; ex humani cerebri commentis petendam esse: sed ex ipsissimis perspicuis sacrarum literarum monumentis. Hæ enim sola nobis AntiChristum vivis suis quasi coloribus depictum, ita nobis ob oculos statuunt, ut extra Scripturam AntiChristum aliquem fingere minimè opus habeamus.

15. Describit autem Scriptura nobis AntiChristum, quod fit Homo in templo DEI, quod est Ecclesia, sedens, & imperium exercens in urbe magnâ septicollî, Româ, quicum CHRISTI loco sedere, ejusdem vicarium se esse glorietur, tûm ipsum DEI nomen, tûm alia, quæ solius DEI sunt, sibi tribuit, ostentans seipsum tanquam DEUM, usum certorum ciborum & legitimi matrimonii prohibens, per operationem Satanæ signa & prodigia faciens mendacia, scelerosus, apostata, idololatra, hypocrita, avarus

E Simoniacus, suos adaugens gloriā, eisq; certum characterem imprimens, postremis mundi temporibus per prædicationem E V A N G E L I I retegendas, donec illustri adventus D O M I N I ac Salvatoria nostri penitus aboleatur.

16. Hanc definitionem sive descriptionem potius Anti Christi ex ipsis Scripturæ fontibus deductam esse, membrotenus probabimus, singulas simul notas, quæ loco differentiæ specificæ adducuntur, ad Papam Romanum accommodaturi.

17. Ex primo quidem, generis loco ponitur *av̄lūxīuevōs t̄n̄s āμaqlīac̄*, Homo peccati seu iniquitatis. Tale enim genus Paulus ipse Antichristo assignat, 2. Thess. 2. v. 3. dum ait: *Ne quis h̄os decipiāt ullo modo, quoniam non adveniet D o m i n u s nisi venerit prius defec̄tio*, & rebelatus fuerit Homo I L L E S C E L E R O S U S, filius perditionis, *ō av̄lūxīuevōs sib̄e AntiChristus*. Per hominem hunc scelerosum neminem alium intelligens, quam ipsum Pontificem Romanum, id quod probari potest certa ratione, non quidem ex sceleribus, quæ & Papa ipse flagitiosè perpetrat, & in suis satellitibus nefariè approbat, deductâ, de quibus dicetur suo loco: sed ex nuda nominis AntiChristi interpretatione ab Apostolo factâ, ea enim talēm nobis demonstrationem gignit.

18. Quicunq; ita est *av̄lūxīuevōs C H R I S T O*, ut sub specioso C H R I S T I titulo, quasi C H R I S T I bices gereret, C H R I S T O aduersetur, ejusq; Ecclesiam oppugnet, is verissimè est AntiChristus.

Pontifex Romanus est talis *av̄lūxīuevōs C H R I S T O*, ut sub specioso ipsius titulo, quasi C H R I S T I bices gereret, C H R I S T O aduersetur,

Ergo Pontifex Romanus est verissimè AntiChristus.

19. Majorem probamus ex ipsâ vocis emphasi; *av̄lūxīuevōs* enim & *av̄lūxīuevōs d̄c̄* dicitur, ut *av̄lūjēōs* & *av̄lūχēs̄*. *Av̄lūjēōs* autem est is, qui vel D E O manifestè se opponere, vel similem se D E O ejusq; loco jactare non veretur: similiter & *av̄lūχēs̄* dicitur pollex, vel quod æquipolleat cæteris digitis, vel quod ex adverso reliquis digitis opponatur. Rationem copulati in Majore damus istam, quia non sat est, omnem C H R I S T I adversarium esse AntiChristum, nisi vocabulum AntiChristi in latiore significatione usurpare velis, hac enim ratione & Imperatores Ethnici, quitempore primitivæ Ecclesiæ C H R I S T U M in membris suis gravissimè sunt persecuti, & Turcæ, quietiamnum C H R I S T O acerrimè adversantur, AntiChristi essent: sed quia speciatim h̄ic Apostolus lopuit de eximio aliquo, & insigni Christi adversatio, quem vocat *av̄lūxīuevōv*, h. e. C H R I S T O oppositum, qui in verâ Filii D E I Ecclesia sedens, sub titulo & nomine Christiano tyrannidem exercet ineffabilem, & omniconatu veram C H R I S T I doctrinam extinguere molitur; necessum est, ut vocem hanc certis quibusdam phrasibus determinemus.

20. Minor, quod videlicet Papa sit talis *av̄lūxīuevōs*, probatur 1. quia Papa est C H R I S T I adversarius nefariâ suâ & seduictrice doctrinâ C H R I S T U M ipsum ejusq; meritum & officium oppugnans. 2. facit hoc sub nomine C H R I S T I, cuius se vicarium esse gloriatur, & cui se assimilat. Ubi enim 1. Christus se D E U M esse ostendit, & religioso adorationis cultu se prosequi mandat: ibi & Pontifex Romanus hunc honorem sibi nefariè arrogat, seq; non sine insigni in D E U M ipsum blasphemiam adorari & venerari cupit. 3. ubi C H R I S T U S vocatur Agnus ille D E I, Joh. 1. v. 29. & 36: ibi & Pontifex Romanus juxta vaticinium Appcal. 13.

V. II.

vii. cornua gerit similia Agno. 3. Ubi CHRISTUS Ecclesiae suæ presitem se ostendit: ibi & Pontifex Romanus titulum hunc sibi attribuit. Promtum igitur erit vel hinc colligere, Papam Romanum esse AntiChristum illum Magnum, de quo Prophetæ, CHRISTUS ipse, & Apostoli loquuntur.

21. Verum quid ad hac Pontifici? Illi quidem, quantum in ipsis est, nullum non movent lapidem, ut manifestas hasce demonstrationes perversis suis detorsionibus illudant; sed infelici admodum omniē & successu, uti mox penitus dispiciemus.

22. Ac primo quidem Phylistarum Romanensem Jesuitici præcipue agminis Goathus, Robertus Bellarminus, quia videt, Pontificis sui maximi causam periclitari in libro suo, quem inscripsit de Pontifice Romano, lib. 3. cap. 1. bellat quidem & rodit pro more suo hanc nominis Ethymologiam; cuius tamen non nos, sed ipse B. Johannes Evangelista & Apostolus autor est, qui in Epistola sua 1. cap. 2. v. 18. & 19. de falsis doctribus sub N. T. exoritur batinans ait: Filioli, novissimum tempus est, & sicut audivisti, quod AntiChristus futurus sit, etiamnū AntiChristi multi cœperunt esse, undē scimus, novissimum tempus esse, è nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Verbis istis disertè indicans, AntiChristos non esse hostes extraneos: sed hæreticos domesticos, Magnumq; illum AntiChristum non esse quemvis adversarium, sed illum tantū, qui sub nomine CHRISTI, i. e. Christianum se videri volens CHRISTO adversatur, scq; pro CHRISTO Ecclesiae obtrudit.

23. Sed audiamus, quo fundamento nitatur Bellarminus in suo cavillo: Aliquid inquit, ex adversariis docent, nomen Antichristi propriè significare CHRISTI vicarium: ac proinde Papam, qui se Christi vicarium afferit, insum esse Antichristum. & probant, quia vox civili significat vice, undē civiliꝝ est vice Christi, sicut civiliꝝ atnyos significat eum, qui pro duce se obtrudit, i. e. qui vicarius ducis habet; At sine dubio falluntur & fallere conantur. Nomen enim Antichristi non potest ullo modo significare vicarium CHRISTI, sed solum aliquem CHRISTO contrarium: & contrarium non quomodocunq; sed ita, ut cum eo de sede & dignitate Christi certet, i. e. qui sit amulus Christi, & velit haberi Christus dejecto eo, qui vere est Christus. Hancq; nominis hujus significationem probat triplici fundamento, sicut dicto loco videre est.

24. Sed quid inde colligit Bellarminus? sub finem capituli inquit: Hinc habemus argumentum primum contra adversarios. Namcum Antichristi nomen significet hostem & emulum CHRISTI, & Romanus Pontifex se CHRISTI famulum & Christo subjectum in omnibus fateatur: non autem Christum se ullo modo esse dicat, nego illi se parem faciat, manifestum est, eum non esse Antichristum.

25. Verum Respondeo, puerile hoc & planè frigidum & inane esse effugium. Sufficit enim ad præsens negotium, ut præpositio àvli non oppositionem nudam, sed talem, quæ cum substitutione conjuncta sit, significet, sicut exempla manifestè docent: Lucae enim 11. v. 11. dicit Salvator: Si Filius à patre petierit piscem, sive àvli ix. Jūoç cōfīv èπiδώτεi àvλω? num pro pisco, sive loco piscis dabit ei serpentem? Alludens fortasse ad græcorum illud adagion: Αὐλιπερκης σινόεπον, pro percâ (pisco) scorpionem. Sic àvli εασλευç significat Proregem: ProRex verò non est Regi oppositus, sed subordinatus, quia vicem & locum Regis sui sive obit sive usurpat, ejusq; vicarius est, sicut hoc ipsum Bellarminus ipse agnoscit lib.

3. cap

2. cap. 20. de Pont. Rōm. inquiens: *Rex mittit Proregeſ ad provincias, quos quia-
mittuntur à Rege, & nomine Regis, & non niſi delegat à ab illo potestate, omnia exe-
quuntur, Regi non aequales, sed subordinati & ſubiectos fateamur neceſſe eſt.* Sufficit
ergo particulam *ā vī* non nudam oppositionem ſignificare: ſed etiam ſubstitutione-
m, ſive ſubordinationem quamcunq;; ſive quis per fraudem à ſeipſo ſubordina-
tus, ſive ritē ac legitime ſubstitutus ſit. *Quidni ergo & ἀντιχριſτος vicarium Chri-
ſti ſignificet?* Noſ quidem, quod Antichriſtus revera talis ſit, ſed ſpeciem enus, &
nudā nominis uſurpatione & ſimulatione: ſiquidem innumera penē apud Lexico-
graphos exempla ſuppétant, ubi vox *ā vī* vim & ſignificationem vicariæ rationis
obtinet. *Nec quicquam impedit, quò minus Pontifex Romanus fit Antichriſtus, licet
ſe C H I S T I adverſarium & emulum strenuēneget, ſed Chriſti famulum & ſubiectum
fateatur.* Facit enim hoc aſtuto conſilio, eum ſaltem in finem, ut ſpecioso hoc ti-
tulo & prætextu eō facilius hominibus imponat: ſiquidem citra C H I S T I no-
men apud Christianos ſe parū aut nihil profeſtum eſſe, probē intelligit, idq;
more, non ſalem omnium perfidorū, quibus non infrequens eſt, ut ſe vicarios
prædicent, cum interim agant perduelles, & hostes ſint, cum tamen voce & vultu
amicos ſe ſimulent: ſed etiam ipſius Satanæ, qui unigulas ſuas ſic abdere novit, ut
haud raro in Angelum lucis ſe transfigurare ſoleat, modō hoc artificio homines à
vera fide ſeducat.

26. *Caterū ab hoc præſidio deturbatus Bellarmiuſ ad aliud uenit* Ονυετ
*fere confert, quo hanc uſpicioñem à Pontifice ſuo amoliri, ſed fruſtrā, laborat, præten-
dendo lib. 3. cap. 2. hanc definitionem in Romanum Pontificem minimè poſſe quadra-
re: ſiquidem Apoſtolus numero ſingulari utatur, AntiChriſtum nominando non homi-
nes, ſed hominem peccati, non filios perditionis, ſed filium. Hinc enim evidenter evinci
opinatur, Ferba Apoſtoli ad certam eſſe definitam quandam personam referenda eſſe, ex
quibus ita infeſt:*

*Quicunq; eſt multus, nec una certa persona, unum individuum, unus homo ſingu-
laris, iſ non eſt AntiChriſtus.*

*At Papa Romanus eſt multus; Multi enim fuerunt hac tenus, & multi etiam fu-
turi ſunt, eadem potestate & dignitate prædicti.*

Ergo Papa Romanus non eſt AntiChriſtus.

27. *Sed Respondeo, Bellarminum manifestam viam inferre verbis Apoſtolicis.*
Spiritui enim sancto admodum familiare eſt in Scripturā, ut vocibus numeri ſin-
gularis vel totam aliquam ſpeciem, vel ſeriem plurimorum ſibi in certo ordine ſuc-
cedentium denotet, v. g. Cum Deut. 17. v. 18. dicitur: *Rex in ſolio regni ſui reſi-
dens describat ſibi Deuteronomion legis hujus in volumine.* Utiq; Regis voce non
una duntaxat persona, ſed potius tota ſeries omnium Regum ſibi invicem ſuc-
cedentium denotatur. Et ſanè, quia tempore quolibet non niſi unus Pontifex Ro-
manus ſibi dominium universale vendicat, mihiſ mirandum eſt, quod Spiritus
Sanctus in Antichriſto denotando ſingulari potius, quam pluriſi numero uti volue-
rit. Prodit igitur manifesto hoc indicio Bellarminus ſuam vel ruditatem, vel ma-
litiam.

28. *Quis enim ita bardus eſt & ſtupidus? ut quando Scriptura dicit, Job. 14.
v. 1. Homo natus de muliere brevi vivit tempore, & v. 12. Homo cum dormie-
rit, non resurget &c. Exod. 4. v. 11. Quis fecit os Hominis? Psal. 104. v. 15. Panis
fortificat*

fortificat cor Hominis. Deut. 8. v. 3. Matth. 4. v. 4. Non in solo pane vivit Homo. Quis inquam ita ineptiat? hæc singularis numeri voce unum tantum individuum, sive unam certam personam intelligi, ac non potius totam speciem? Quid igitur mirum, si & hæc per Hominem scelerosum Spiritus sanctus quemlibet Romanum Pontificem, qui illam impietatis sedem occupat, designet, præsertim, cum utplurimum quovis tempore unus tantum Papa regnare soleat?

29. Ceterum Bellarminus argumentum hoc invertit d. l. nosq[ue] ruditatis & inscri-
tia insimulans urget articulum ὁ dicens ex Epiphano: Articulos græcos contrahere si-
gnificationem ad unam rem certam, ita ut ἀνθρωπός significet hominem in commu-
ni, at ἀνθρωπός hominem singularem. Et sanè mirum est, (addit) nullum adver-
sarium, qui tamen jactant linguarum peritiam, hoc animadvertisse.

30. At Respondeo, posita & sufficienter probata reipsa, quod videlicet Aposto-
lus non loquatur de unicâ duntaxat certâ personâ in individuo: sed vel de totâ serie
Pontificum, vel de quolibet Papâ seorsim, articulus græcus ὁ responsioni nostrâ ob-
esse haud quaquam poterit. Illum enim non semper uni duntaxat individuo: sed
sæpenumero toti speciei, aut personis multis eodem in ordine sibi succendentibus
adaptari posse, certum est ab exemplis quam plurimis, utpote Marc. 2. v. 27. Sabba-
thum propter hominem factum est, ἥξεν ἀνθρωπός, non vero Homo propter
Sabbathum. Ubi tamen nec unus homo, nec unum Sabbathum significatur. Sic
Luc. 4. v. 4. dicitur: Non solo pane vivit ὁ ἀνθρωπός. Ubi etiam non unus homo,
sed quisvis intelligitur, quâ de causa etiam Matthæum articulum omisisse quidam
dicunt, ut doceatur, idem esse ἀνθρωπος & ἄνθρωπος. Sic Ebr. 9. v. 7. dici-
tur, quod μόνος ἀρχιστάρχος, solus summus Sacerdos quotannis ingrediatur
sanctum sanctorum. Ubi præter articulum ὁ insuper additur particula exclusiva
μόνος, quæ in restriagendo multò fortiorē vim obtinet, & nihilominus ipsa
prohibet veritas, ut istum articulum aut possimus, aut debeamus intelligere, de
unâ certâ aliquâ & individuali personâ, veluti Aäronis, Eleasari &c. : Sed necessa-
riò referimus illum ad omnes Sacerdotes summos, qui successione continua & ordi-
nariâ sibi successerunt. Regula igitur Epiphanii hæc in parte non erit κατὰ παντὸς
& universaliter vera; sed ὡς ἐπὶ τῷ πολύ.

31. Porro adducit Bellarminus eodem in loco, quinq[ue] Scriptura dicta, quibus sen-
tentiam suam de singularitate personæ Antichristi confirmare studet. Primus locus est
hic ipse 1. Thess. 2. v. 3. quem quidem locum Bellarminus secundo in ordine loco addu-
cit: Sed de illo haecen plus satis.

32. Alter locus desumptus est ex dicto Joh 15. v. 43. ubi dicitur: Ego veni in no-
mine Patris mei, & non receperistis me; Si alius venerit in nomine suo, illum reci-
pietis. Ex hoc loco Bellarminus tria vult elicere argumenta, demonstrantia Antichri-
stum fore non nisi unum hominem singularem.

33. Primum argumentum sumit ab autoritate Patrum, qui de uno aliquo indi-
viduali Antichristo illa acceperunt, puta Chrysostomus & Cyrillus, in hunc locum. Item
Ambrosius in 2. Thess. 2. Hieronymus in Epist. ad Algasiam quæst. II. Augustinus
tract. 29. in Johan. Irenæus lib. 5. contra hæres. Valent. Theodoretus in Epit. div.
decretor. cap. de Antichristo & alii.

34. Sed Respondeo, magnam quidem esse patrum autoritatem, verum non mo-

vemur nudâ nominum autoritate sine momento rationum. Nuspia[m] enim ita in
iporum autoritatem jurati sumus, ut in Patrum gratiam manifestos errores nobis
obtrudi patiamur. Venia itaq[ue] danda erit hâc in parte Patribus, quod cùm illo-
rum ætate vaticinia isthæc essent adhuc obsignata & clausa, & Antichristus non-
dum plenè in apertum erupisset, eum minus agnoverint. Quod madmodum autem
non sequitur, doctores populi Judaici ferè omnes, imò ipsi Apostoli ante diem
Pentecostes senserunt, CHRISTI regnum fore mundanum. Ergo hoc verum
est: Ita vice versa non sequitur, pleriq[ue] Patrum, quos Bellarminus adducit, per
Antichristum intellexerunt, unam aliquam certam personam. Ergo quoq[ue] ita est.
Utrobiq[ue] enim rectissimè respondet, non opinionibus: sed Scripturæ testimoniis
esse judicandum in Religionis negotio.

35. Alterum argumentum format Bellarminus ex hoc dicto ab oppositis: Christus, inquit, opponit sibi alium hominem, h. e. persona personam, non regnum regno-
neg, sectam sectæ, ut patet ex illis sociis: Ego, aliis, in nomine meo, in nomine suo,
me, illum. Sicut ergo CHRISTUS unus & singularis homo fuit: ita & Anti-
Christus unus & singularis homo erit.

36. Respondeo, CHRISTUM unum fuisse, nec alium posse intelligi præter
unum, notum est, proinde hoc libenter adversario largimur. Cæterum, si argu-
mentum hoc ad certam formam redigatur, manifestè deprehenditur, nullam esse
rationem antecedentis. Falsissimum enim est, quod presupponit Bellarminus, uni
non posse opponi plura, quid enim tritius est, quam multa uni rei opponere? Christus
quippe ipsem, qui unus erat pastor bonus, sese opponit vel mille furibus &
mercenariis, Joh. 10. & sanè, si juxta Logicam hanc Pontificiorum ita liceret argu-
mentari, mox quoq[ue] hâc argumentanti, formulâ posset demonstrari, unicum etiam
esse tantum Diabolum, & unicam tantum esse falsitatem. Unus enim est tantum
Deus, Ergo unus tantum est Diabolus, quia hic non minus Deus, quam Anti-
Christus Christo opponitur. Quamobrem, ut uni Deus multi opponuntur
Diaboli, & uni & simplici veritati multiplex falsitas, & errores numerò multi con-
trariantur: sic quoq[ue] uni Christo multi possunt esse AntiChristi contrarii, quod
non tantum de diversis hereticis, sed etiam de diversis in eâdem sede sibi succeden-
tibus Pontificibus intelligi potest.

37. Deinde hâc committit Bellarminus fallaciam æquivationis ex falsâ inter-
pretatione vocis alias. Alius enim à Christo infinitam significationem ha-
bet, & potest & hunc & illum & alterum notare, imò distributivè omnem, qui
Christo pertinaciter obliuetatur. Posito igitur hoc, non concessio, uni Christo
opponi unum AntiChristum, nihil tamén hoc adjuvare poterit adversarium,
ad tuendam causam sui Pontificis. Licet enim multi Papæ sint successivè: uno
tamen & eodem tempore non nisi unus Papa est, qui Christo opponitur.

38. Tertium argumentum ex hoc loco sic proponit Bellarminus: CHRISTUS
inquit, hic dicit, AntiChristum à Judais pro Messia recipiendum: constat autem,
Judeos unum & certum hominem expectare. Item, multi falsi Prophetæ generunt in
nomine alterius, non in nomine suo, Jerem. 14. Falso Prophetæ vaticinantur in nomi-
ne meo, non misi eos &c. At hic Dominus loquitur de uno quodam, qui generet in nomine
suo, i. e. qui agnoscer Deum aliquem, sed extolleret se, ut Paulus ait, super emne, quod di-
citur Deus. Deinde falsi Prophetæ permulti generant ante Christi adventum, per multi-
etiam

etiam posse a venturi erant. Non igitur D O M I N U S dixisset, si alius generit, sed multi veniunt, si de falsis Prophetis loqui soluisset.

39. Respon. Falsa est & hæc interpretatio, nihil enim in specie his verbis de AntiChristo agitur, sed Christus indefinitè quemvis aliūm intelligit, quem Judæi citius pro Messiā recepturi sint, quām verum Messiam & mundi Salvatorem. Patet enim ex contextu, quod C H R I S T U S loquatur de ingratitudine Judæorum, quod ipsum ceu verum Messiam à Patre missum divinitus recipere nolint. Contra verò, si alius quispiam veniat in nomine suo, i. e. privatà autoritate, propriâ libidine, sine omni vocatione divinâ, Messiæ honorem sibi rapiens, & externa ipsis beneficia tantum promittens, hunc vanum falsumq; Messiam longè citius receptum iri. Id quod etiam re ipsa demonstrarunt Judæi, verū & Patribus promissum Messiam in crucem agendo, contra verò avidissimè recipiendo Thaidam & Judam quendam Galilæum, quorum fit mentio Actor. 5. v. 36. & 37. qui tamen à Deo missi non erant, sed proprio impulsu famam & gloriam Messiæ affectabant.

40. Deinde simpliciter falsum est, quod dicit, Bellarminus, AntiChristum à Judæis pro Messiā receptum iri: AntiChristum enim non Judæi, sed Christiani accepturi erant, uti suo loco demonstrabitur. Falsum non minus & illud, quod dicit, AntiChristum simpliciter nomine suo venturum. Quamvis enim in nomine suo, i. e. propriâ autoritate, absq; omni vocatione divinâ sibi hunc honorem rapturus sit: pro libitu dominandi in Ecclesiâ, attamen obtendet Dei nomen. Nam si talis AntiChristus larvatus venturus esset, quem Bellarminus & aliae Romanensium fabulæ singunt, qui dicturus esset, se non in nomine D E I, sed suo nomine venire, i. e. se non missum esse à Deo, sed facere omnia proprio motu, proprio suo arbitrio & potestate, num credis obsecrò, talem unquam illum sectatorem habiturum esse? quin omnes certissimè ipsum tanquam manifestè obsessum à Diabolo adversarentur. Phrasis igitur, suo nomine, tantum opponitur divinæ vocationi & missione, quam licet Antichristus prædenderit: veniet tamen non nisi per cooperacionem Satanæ, juxta 2. Thessal. 2. v. 9.

41. Tertius locus, qui à Bellarmino pro demonstranda singularitate persona AntiChristi adducitur, sumptus est ex dicto 1. Joh. 2. v. 18. οὐ γένεται ὅλη ὁ αὐλίχεισος ἐρχεται καὶ νῦν αὐλίχεισοι πολλοὶ γεγόνασιν. Ubi articulum ὁ præponit. Antichristo propriè dicto, sine articulo vero effert nomen Antichristi communiter accepti apertissimè indicans. Antichristum propriè dictum esse unam personam certam: Antichristum communiter acceptum non esse certam personam, sed in genere omnes hereticos.

42. Respondeo, supra dictum est, articulum ὁ nomini certo superadditum singularitatem rei semper efficere non posse. Et ut adversarium propriò gladio jugulemus, notum est exemplum in 2. Joh. v. 7. ubi ait: πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον, οἱ μὴ οὐαλούγεντες Ιησὺν χριστὸν ἐρχόμενον ἐν στερεῇ, τὰς εἶνιν ὁ πλάνος καὶ ὁ αὐλίχεισος, Multi seductores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur J E S U M C H R I S T U M venisse in carne, qui est ejusmodi, hic est impostor, & ὁ AntiChristus. Ubi Johannes Evangelista & Apostolus expressè articulo ὁ utitur: & tamen de AntiChristo propriè sic dicto verba minimè facit. Nam quicunq; non confitetur Jesum venisse aut venturum esse in carne, is est impostor καὶ ὁ αὐλίχεισος. Jam verò Johannes d. l. tales multos venisse pronunciat: Er-

gō articulus & non semper eandem vim & significationem obtinet, ut unum certum hominem designet,

43. Quartus locus pro singularitate personae AntiChristi à Bellarmino adductus, desumus est ex Dan. 7. 11. & 12. cap. ubi loquitur de AntiChristo, ut docet Hieronymus & Theodoreus & alij. Ibi autē, inquit Bellarmin⁹, Antichristus non vocatur unum regnum, sed unus quidam Rex, qui ex decem Regibus, quos in mundo inveniet, tres omnino sublaturus ē medio, & alios septem sibi subiecturus sit. Et addit Bellarminus, quod plurimi Danielē loqui existimant de Antiocho illuftri, & allegoricē de AntiChristo, cuius figuram gerebat Antiochus, ex qua infert: Antiochus illustris certa quādam & singularis persona fuit. Ergo & AntiChristus certa persona esse debet.

44. Resp. Argumentum hoc procedere ex typi ad antitypon ratione. Concedimus igitur primum, Antiochum habere rationem typi ad AntiChristum, Prophetamq; sub typō Antiochi Epiphanis de AntiChristo multa prædicere. Verū tenendum quoq; illud est, Danielē d. l. non tantum agere de Antiocho: sed etiam speciatim de AntiChristo Magno, Absoluto enim vaticinio de Antiocho verbis immediate sequentibus, transitum quoq; facit Propheta ab Antiocho ad AntiChristi tyrannidem describendam: siquidem plurimas notas adducit, quae immediate soli Papæ competant, minimè verò Antiocho.

45. Deindē etiam concedimus Bellarmino & illud, AntiChristum fore certam personam singularem, sed non eo sensu, quo Bellarmin⁹ hanc singularitatem vult accipi, quasi AntiChristus debeat esse unicus tantum homo, qui seipso contentus successorem aliquem non sit habiturus: sed dicimus, per AntiChristum ita notari singularem personam, quatenus uno & eodem tempore unus duntaxat est & regnat Pontifex. Quemadmodum igitur Pontifex ipse voce singularis numeri totam seriem Paparum complectitur, quoties in suis decretis mentionem Papæ facit. v. g. quando dicitur: Si Papa suæ & fratrū salutis negligens innumerabiles populos catervatim ducat secum in gehennam, culpam ipsius mortalium redarguere præsumat nemo. Ibi certè voce Papæ, licet sit singularis numeri, tamen non in individuo unicum duntaxat Papam, sed quemlibet Romanum Episcopum, quoq; regniet tempore, intelligunt ipsi Papicola: ita quoq; quoties Spiritus S. de AntiChristo in singulari loquitur, ibi intelligit non unam duntaxat personam, siquidem impossibile est, ut ullius personæ actas tam diu à tempore CHRISTI & Apostolorum, usq; ad illustrēm ejus redditum ad judicium durare possit: sed potius intelligit, integrat illam seriem seu colluviem Paparum, & quemlibet ordine quodam in illā pestilentiae cathedrā fese consequentium, haud aliter, atq; unā voce Regis in vaticiniis Prophetarum & alibi integra plurimorum Regum, in eodem regno sibi succedentium series notatur.

46. Quintus locus, qui à Bellarmino ultimo loco adducitur pro demonstratione singularitatis Antichristiana, petitus est ex Apoc. 13. & 17. cap. Que loca, ait, intelligi de Antichristo, docet Irenaeus lib. 5. & perspicuum est ex similitudine herborum Danielis & Iohannis; Ut ergo, enim mentionem facit decem Regum, qui erunt in terrā, quando veniet Antichristus, & uterq; Antichristi regnum tribus annis cum medio duraturum prædict. Sicut ergo Daniel de uno certo Rege loquitur: ita & Iohannes in Apocalypsi.

47. Resp. Et Danielē & Iohannem de Antichristo loqui, certum est: verū, an de eo solum, illud est, quod etiam atq; etiam insiciamus. Utrum enim Scriptura sacra profunda est, & re una ad multa sēpē respicit: ita & hic agi de Antichristo, pie credi-

credimus. Verum, an non etiam porrò aliud quid innatur, de eo maximè dispi-
ciendum erit. Quemadmodum igitur Daniel cap. 7. v. 7. per bestiam non tantum
notat Antichristum Magnum; sed etiam vetus Romanum Imperium: ita & hīc A-
postolus sub formā bestiæ principaliter de statu Romani Imperii veteris loquitur:
τυπικῶς verò de Papatu Antichristiano. Concidit igitur & haec glossa Bellarmini,
quod tantum de uno Rege in Daniele verba fiant, sed Daniel per bestias ipsa regna,
non verò solos Reges intelligit; imò Johannes de bestiis distinctè loquitur. Post-
quam enim vaticinum de decicorni bestiâ, i. e. de veteri Romano imperio, & per-
secutionibus sub Imperatoribus istis Ethnicis motis expedivit, introducit novam
aliam bestiam, duo saltem gestantem cornua, i.e. geminum dominatum, politicum
& Ecclesiasticum sibi vendicantem, per quam bestiam neminem, nisi solum Ponti-
ficem Romanum, non quidem in aliquo individuo certo, sed in totâ serie, ut modò
dictum est, intelligendum esse, ex verbis textū satis evidenter monstrari potest.
Atq. hæc de Genere dicta sufficient, quod videlicet Antichristus sit Homo.

48. Jam ad alteram definitionis partem, videlicet ad Notas sive gnorismata, quæ
differentiæ specificæ loco adducuntur, accedimus. Illarum Notarum aliquot com-
memorantur, quas, si omnes ad Romanum Pontificem accommodaverimus, quis
quæso dubitare poterit, Papam esse ipsissimum Antichristum? Sic enim collimus:

*Cuicunq; competit omnes & singulæ Notæ Antichristi Magni, quibus Spiritus S.
in Scripturis Antichristum nobis depingit, is meritò pro insigni Antichristo est agno-
scendus, nec ullus expectandus aliis.*

*Papæ Romano competit Nota simul omnes, quas Magno Antichristo Scriptura
tribuit.*

*Ergò Papa Romanus est insignis ille Antichristus, nec erit expectandus aliis.
Major propositio suâ luce lucet. Minorem probabimus membronem.*

PRIMA NOTA à sede AntiChristi.

Quod Antichristus sedeat in templo DEI.

49. Inter alias Notas, quibus Spiritus sanctus Antichristum nobis ob oculos
ponit, primum sibi locum vendicat ista, quod sedeat in templo DEI. Hanc enim
conceptis verbis ipsi attribuit per Apostolum, 2. Thess. 2. v. 7. ubi Paulus ait de ho-
mīne isto sceleroso, *quod sedeat in templo DEI.* Est autem sedere in templo DEI,
non de situ aliquo corporis aut de throno ab artificib; manu fabrefacto accipien-
dum: sed juxta Scripturæ phrasin intelligendum est, de dominio & gubernatione.
Quemadmodum & vox templi DEI non denotat externam templi structuram, sive
aedificium ex lapidum aggere extrectum: sed ipsam DEI Ecclesiam, quæ verè est
templum & domicilium DEI viventis, juxta assertionem Apostoli 1. Timoth. 3.
v. 15. Ibi Antichristus supremum affectabit imperium, pro libitu faciendi, qui-
quid volet, Leges figendo atq; refigendo, quod ipsum in regno Pontificio & sede a-
postolicâ Romanâ tam clarum est & perspicuum, ut probatione nullâ indigeat.

50. Gignit autem hæc Nota ad evincendum, Romanum Pontificem esse Anti-
Christum, talem demonstrationem:

*Quicunq; postremis mundi temporibus in Ecclesia DEI ita sedet, ut publicam sibi
sumat autoritatem, pro suo arbitrio imperium exercendi, is est AntiChristus Magnus.*

Pontifex Romanus, isq; solus, talis est.

Ergo Pontifex Romanus, isq; solus est AntiChristus Magnus.

Major est Apostoli, quippe qui non nudè ita ratiocinatur à sessione: sed verbo sedendi innuit nihil aliud quam dominum, & quidem non quodvis, sed planè diuinum. Dicit enim, quod sessurus sit tanquam Deus, verbis istis innuens, AntiChristum sibi sumtum plenariam potestatem, soli alias Deo convenientem & debitam, nova cedula dogmata & leges, easq; sub Anathematis fulmine religiosissime observandas obtrusurum Ecclesias.

51. Minorem, quod hæc omnia exquisitè quadrent in Romanum Pontificem, sic probo: quia certum est, Papam Romanum non esse extra Ecclesiam pomaria, extra cœtum, populumq; baptisatorum, ut Mahomet sive Turcam constitutum: sed intra illam visibilem baptisatorum hominum congregationem. Neq; verò solum Papa est è baptisatis, atq; sic in templo Ecclesie Dei: sed etiam eò usq; progressus est audacia, cum insigni impudentia conjuncta, ut non erubuerit, semetipsum q. Dominum collocare in templum, sibiq; vendicare jus & imperium in omne genus mortalium, imò sese venditare pro Deo, & CHRISTI in hisce terris vicario.

52. Ceterum tumultuantur & his Pontifici, obtendendo cum Bellarmino, lib. 3. cap. 13. hoc ipso, quo Papam pro AntiChristo habendum esse afferimus, propterea, quod sedeat in templo Dei, nos fateri Ecclesiam Romanam, in qua Pontifex sedet, & dominium exercet, esse templum Dei, seu Veram Ecclesiam: nos verò esse exira Ecclesiam, quia ab Ecclesiâ, quæ sub Papa est, simus alieni.

53. Verum Respondeo, ipsos hoc cavillo nihil proficere, plus enim est in conclusione, quam fuit in præmissis. Ecclesia enim dupliciter consideratur, vel enim generaliter estimatur ex vocatione, & sic estimata sumitur pro cœtu visibili vocatorum, qui amplectuntur verbum Dei, & utuntur Sacramentis verbo divinitus annexis: vel etiam estimatur ex electione, & definitur cœtus invisibilis prædestinatum ad vitam æternam. Quando igitur hic queritur de Ecclesiâ, ibi agitur tantum de isto visibili cœtu vocatorum, sive de cœtu hominum legitimè baptisatorum. Et hoc sensu, ubiunq; baptismus in substantialibus suis servatur integer, & administratur juxta Christi institutionem, ibi certò est aliqua Dei Ecclesia: quo respectu etiam minimè inficiamur, in medio Papatu fuisse & manisse Ecclesiam, quamvis Papatus ipse non fuerit de Ecclesiâ, & hi, qui titulo Ecclesie superbiebant, veræ Ecclesie membra non fuerint. Aliud verò est, sedere in Ecclesia Dei, quod quidem Papa ceu Antichristus facit; aliud verò est, esse veram Dei Ecclesiam, quod AntiChristus cum sua factione neq; est, neq; erit unquam.

54. Distinguendum igitur erit in hoc negocio, inter ipsum Papatum, & inter Veram Ecclesiam, quæ sub papatu quasi captiva multis seculis latuit, & adhuc latet. Extra omnem enim controversiæ aleam positum est, multos adhuc esse sub Papatu fideles; & ut maximè pleriq; adulti in medio Romæ etiamnum vera Ecclesie membra non sunt, exceptis iis, qui vel in ipso mortis articulo veritatem divinitus patefactam agnoscunt, neq; sibi oculos & mentem fascino Babylonicæ meretricis amplius corrumpi patiuntur: certè tamen infantes, qui jam Romæ baptisantur, & per lavacrum istud regenerationis CHRISTO inferuntur, Ecclesie membra existunt, & proindè respectu infantum baptisatorum, ut & aliorum, licet paucorum fideliūm adulorum mansit Ecclesia in medio Papatu ad nostra usq; tempora, adeò, ut si quis scire desideret, an adhuc Romæ sit aliqua vera Ecclesia? respondeamus ei, imò assignas.

assignata hac ratione, quia ibi baptismus viget in suis substantialibus integer.

55. Ut igitur non sequitur: in medio templo Dei, immo in ipsa cathedra Mosis, federunt Pharisei, & Judaici populi doctores, Matth. 23. v. 2. Ergo ipfi fuerunt vera Ecclesia. Ita ex hoc etiam non satis firma ratione concluditur: Romanus Pontifex sedet in media Ecclesia. Ergo Romanus Pontifex cum suo clero est vera Ecclesia.

56. Nihil insuper mobemur sophismate Bellarminiano, quo nos qui alieni sumus à Papatu, cens schismaticos Ecclesiam extorres calumniatur: uti enim non statim ditione Saxonica excedit, qui vel Lipsiā, vel Vittebergā relictā ob pestis contagium se alio confert, ubi aere hescatur salubriore: ita neq; nos Ecclesiam excessimus, quia Romanā peste renunciata salutaribus Evangelij hortis inambulare maluimus. Et mirum est, cur Bellarmintus neget, ullam apud nos esse Ecclesiam; falsitatis enim hæc opinio vel unico hoc argumento convinci potest:

Ubi Baptismus in suis substantialibus administratur integer, ibi est Ecclesia.

Apud nos non minus quam apud Pontificios Baptismus in suis substantialibus administratur integer.

Ergo apud nos est vera Ecclesia.

57. Major probatur, quia per Baptismum tanquam Sacramentum initiationis patet ingressus in Ecclesiam.

Minorem confirmant ipsi adversarii, vi veritatis adacti. Ipsimet enim agnoscunt eos, qui in nostris Ecclesiis baptisantur, percipere baptismum verum, efficacem & legitimum. Ergo hoc ipso quasi opere declarant, in nostris quoq; cœtibus esse veram Dei Ecclesiam. Aut si hoc non concedent, cogentur baptismum reiterare apud illos, qui à nobis ad illorum partes hactenus transferunt, utpote, qui verum baptismum nondum perceperint.

58. Porro ne sc̄ quidem quiescit Bellarminus, quin adhuc oggianat, Papam tanquam caput & Monarcham in Ecclesiam sedentem, non posse esse AntiChristum, propterea, quod CHRISTUS, qui est veritas, promiserit, portas inferorum non prevalituras aduersus Ecclesiam suam, Matth. 16. v. 18. Ex quo Bellarminus concludit: Ergo Christus non permittet, ut Ecclesia ruat in tantum erroris baratum, ut AntiChristus in eā sedeat.

59. Respondeo, committit Bellarminus h̄c fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Verbis enim istis CHRISTUS nihil aliud promittit, quam perpetuam nullisq; seculis interrumpendam conservationem Ecclesie, quæ suo fundamento innixa contra omnem imperium Diabolorum inconcussa persistere debet. Hanc verò promissionem DOMINUS ita ratam habuit, ut etiam in stupenda illa seductione, & propè generali apostasiâ populorum ac gentium à fide, sub AntiChristi regno, quo horribilior erat defectio, eō mirabilior quoq; erat electorum suorum conservatio, eoq; illustriū implebatur h̄ec CHRISTI Salvatoris promissio. Neq; enim ob multitudinem errantium periclitatur DEI promissio, neq; etiam ex multitudine æstimanda est Ecclesia: sed haud raro gressus pusillus juxta indubitas promissiones potentissime conservatur ac defenditur, ne unâ cum reliquâ colluvie, propter errores cum salutis fundamento pugnantes, in æternæ damnationis baratum præcipitetur.

60. Causa autem, cur Deus nihilominus permittat, Antichristum grassari in Ecclesia, ostenditur alio tempore, sufficit quod Spiritus sanctus in verbo fatales

hæc

hasce tenebras, quæ sub Antichristo Christianum orbem obnubilaturæ erant, prænunciari. Errat itaq; & in hoc Bellarminus, quod in hâc quæstione ad nudam saltem promissionem CHRISTI respiciat, absq; ullâ consideratione eorum vaticiniorum, quibus Spiritus sanctus istam defectionem à fide, tempore Antichristi futuram prædictit, quæ consideratio semper cum ipsâ promissione est conjungenda. Si enim Deus non tam sollicitè nos præmonuisset, utiq; hoc argumentum haberet aliquam speciem. Jam verò, quia fidelissimè præmonuit, patet impetum hujus argumenti Bellarminiani planè esse frigidum & nullum. Et hæc de primâ Notâ dicta sufficiant.

SECUNDA NOTA

Ab arce regni AntiChristi.

Quod AntiChristus Romam, imperij sedem, occupet.

61. Neq; tantum in Ecclesiâ DEI sedebit Antichristus, sed Scripturæ insuper docent, & eventus optimus Prophetiarum interpres confirmat, Antichristum non esse regnaturum, nisi Romæ: hanc enim sedem futuram Antichristi, Johannes Evangelista & Apostolus designat, Apocal. 17. ubi veneficam illam Regum & gentium seductricem ait sedere super bestiam habentem cornua decem, & capita septem. Jam verò bestia ista, ipso Daniele interpretante, nihil aliud fuit, quam quarta Monarchia Romana. Huic bestiæ insidere, scribit Johannes, mulierem, quam mulierem ipsam affirmat esse civitatem magnam Apocal. 17. v. 18. Quæ certè nulla alia esse poterit, quam Roma, utpote quæ hujus potentissimæ Monarchiæ caput, & sedes imperialis extitit. Eam enim Johannes tam significanter describit, ut expressius designare non posset, nisi secundum literam ipsum nomen expressisset. Dicit enim, quod sita sit inter duo maria, (Tyrrenum & Adriaticum) quodq; habeat septem montes v. 9. Jam verò constat, Romam septicolle esse, quod de aliâ urbe, quæcumq; illa fuerit, vix scriptum reperiatur. Quod autem Apostolus non agat de veteri Roma, sed de nova, prout nunc à Pontifice Romano occupatur, patet ex multis rationibus, quas h. l. afferre non opus est. Ex quibus omnibus iterum hunc in modum colligimus:

Quicunq; in Ecclesiâ Romana sedet, & vino spiritualis sua fornicationis ceu philtro, omnes populos & Reges terre dementat & inebriat, ut ad illius nuntium quosvis errores & idololatricos cultus approbent & recipiant, is est AntiChristus Magnus.

Papa Romanus, & quidem solus, est talis. Ergo.

62. Verum quid ad hoc opponunt Jesuitæ? Bellarminus & ejus asseclæ, ut suæ sententiæ colorem aliquæ inducant, primum omnium inficiantur, cathedram Romanam sedem futuram AntiChristi: sed templum potius Hierosolymitanum, sicut videtur est apud Bellarm. lib. 3. cap. 13. & apud Beccanum in suo trattatu de AntiChristo reformato, tom. 2. opusc. 1. cap. 4. thes. 2. Verum afferitur hoc nudè sine omni probabili ratione, proinde eadem facilitate, quâ afferitur, idem quoq; dogma rejicitur.

63. Instat equidem Bellarminus, & ex eo etiam Beccanus d. l. Hierosolymis qd AntiChristum securum esse, probare conantur tribus Scriptura locis. Quorum primus extat Apocal. 11. 6. 8. ubi Johannes dicit, Henoch, & Eliam pugnaturos in Jerusalem cù AntiChristo, & ibi occidendos ab eodem AntiChristo, & corpora (inquit) eorum jacebunt in plateis civitatis magna, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Egyptus, ubi &

DOMI-

DO**M**I**N**U**S** crucifixus est. *Hoc autem de Hierusalem dicit, negari nullo modo posse est, quae enim est civitas, ubi D O M I N U S crucifixus est, nisi Hierusalem?* Ex hoc loco sic argumentari videntur:

AntiChristus habebit sedem suam ibi, ubi Dominus crucifixus est, i.e. Jerosolymis.

Papa Romanus negat habuit, negat habet sedem suam Jerosolymis, ubi C H R I S T U S crucifixus est.

Ergo: *Papa Romanus non est AntiChristus.*

64. Respondeo, Committit Bellarminus, ut & Beccanus, turpiter fallaciam petitionis principii, dum pro confesso sumunt id, quod maxime est probandum. Numquam enim Johannes expressè verba facit de Hierosolymâ, ubi enim quæsto jam est illa? Annon potius eversa, & juxta vaticinium Dan. 9. v. 27. & C H R I S T I Luc. 19. v. 44. & Matth. 23. v. 38. Luc. 13. v. 35. nunquam restauranda? Sicut etiam evenit docuit, quoties Judæi ejus restorationem tentarunt tempore Juliani apostatz. Sed quemadmodum per duos illos testes intelligit quosvis constantes ac fideles C H R I S T I ejusq; verbi defensores, non verò Enochum & Eliam, ut ineptè interpretantur Pontificii, sicuti suo loco dicetur. Ita per Sodoma & Aegyptum intelligit mysticè ipsam Romanam Ecclesiam, sive urbem R o m a m , quæ dicitur Sodoma, non tantum respectu fornicationum corporalium, quæ per Satanicum sacrosancti Conjugii interdictum pleno impetu irrepererant: sed etiam ratione idololatricorum cultuum, qui fornicationi spirituali assimilantur. Aegyptus verò dicitur, ob servitutem Ecclesiæ, sub jugo, tyrannide & imperio Magni illius AntiChristi, Pontificis Romani.

65. Negat alicujus est teruncii Ἐντασίς, sive instantia Bellarmini & Beccani de C H R I S T I crucifixione. Loquitur enim Apostolus de crucifixione spirituali, quæ licet Constantinopoli etiam accidere possit, uti Beccanus urget: attamen per excellentiam quandam & prærogativam hoc urbi Romæ tribuitur, tūm propter ingentia isthæc scelera, quæ Romæ magis quam alibi locorum perpetrantur, & quibus C H R I S T U S indies de novo crucifigitur; tūm etiam propter mysteria quamplurima, quæ Romæ membris suis obtigerunt, ob constantem Evangelii confessionem. C H R I S T U S enim induens se in corpus Ecclesiæ, suam mortem esse pronunciavit, suas passiones, suam ignominiam, sua deniq; stigmata, quæcunq; fidelibus propter nomen ejus inferuntur.

66. Deinde ex superabundanti & hoc possumus addere, Johannem non dicere AntiChristum ibi habitaturum esse: sed dicit, duos testes tantum ibi occisum iri. Licet igitur hæc verba de Hierosolymâ accipienda esse concederemus: parum tamen, aut nihil iis adversarii proficient.

67. Alter locus, quo Bellarminus probare studet, Hierosolymam fore sedem AntiChristi, deducitur ex loco Apocal. 17. v. 16. ubi Johannes dicit, decem Reges, qui sibi divident Romanum imperium, & quibus regnantibus veniet AntiChristus, odio habitatores purpuratam meretricem, i.e. Romam, & eam desolatam fatturos, atq; etiam igne crematuros. Quomodo ergo erit sedes AntiChristi, si illo ipso tempore debet everti & comburi?

68. Respon. Malitiosè hic, & datâ quasi operâ iterum tergiversatur Bellarminus, studiosè & contra propriam conscientiam verba in alienum sensum detorquendo. Non enim dicit Evangelista, quod eo ipso tempore, quo AntiChristus Pontifex Romanus venturus est, regnum ipsius debeat everti & comburi: sed distin-

guenda sunt tēpora. Postquam enim in praecedentibus dixerat de incremento Pa-
pæ; iżm subjicit quoq; quoddam quasi vaticinium de vastatione illius regni , o-
stendendo, Reges quām plurimos ad veritatis agnitionem per venturos esse, qui
malitiæ & improbitatis illius tandem pertæsi ipsum Pontificem adorientur, ejusq;
autoritate spretā, Religionem Pontificiam ex suis ditionibus ejicient, & quantum
quidem in ipsis est, terras, quas dolo malo ac tyrannide ineffabili occupaverat, va-
stabunt, earumq; proventus diripient, atq; hunc in modum meretricem illam de-
solatam facient, ut ita justo D E i judicio tandem aliquando ultio sumatur de re-
gno isthoe maximè impio & injusto. Comparatè igitur hæc verba sunt accipienda
respectu prioris status, quo suspiciebatur initio, ut omnium Ecclesiarum mater,
jam verò ex verbo D E i agnita non injuriâ in horridam & vastam solitudinem re-
dacta, verbis istis figuratè prædicatur.

69. Tertius locus, qui instantiæ loco affertur, tūm à Bellarmino tūm à Bocano,
babetur in 2. Thessal. 2. v. 4. ubi dicitur, quod sedeat in templo D E I. Ex eo colligit
Becanus, inquiens: Per templum D E I in N.T. quotiescumq; propriè sumitur, & non
Metaphorice, (sumitur autem sàpiissimè propriè) nunquam intelliguntur Ecclesia Chri-
stianorum, sed semper templum Jerosolymitanum. Ergo Paulus quoq; bult AntiChristus
seffurum in templo D E I i.e. in templo Jerosolymitano.

70. Respon. Apostolum loqui, non de ullò templo alio, quām quod D E U S
tempore N. T. sibi delegit. Hoc verò non potest esse templum Hierosolymita-
num; illud enim ita abjectum est à D O M I N O, ut juxta C H R I S T I & Danielis va-
ticinum non amplius sit reædificandum: sed ipsa Ecclesia, in quā AntiChristus
dominium suum exercet. Reliqua, quæ addit Becanus, templum scil. Salomonis non
restaurandum esse ad cultum veri D E I, cui olim destinatum erat, sed ad abominatio-
nem & impietatem, mera nugæ sunt, omni fundamento carentes: fundatæ in nu-
dâ autoritate Patrum quorundam absq; rationum momentis: ideo facile per se cō-
cidunt, nec ullâ rēponfione opus habent: Et hæc est altera Nota AntiChristi.

T E R T I A N O T A

à moribus AntiChristi.

Quod AntiChristus sese supra D E U M extollat:

71. Tertium gnorisma AntiChristi est, quod sit ὑπεραρχόμενος ἐπὶ πάντες
λεγόμενος Ἰησοῦς, οὐ σεβασμας, quod se elatus sit adversus omne, quod dicitur.
D E U S, aut numen, imo semetipsum pro DEO venditatus sit. Qui quidem cha-
racter, cùm & ipse in Romanum Pontificem appositissimè competit, tale nobis sta-
biliendæ sententiæ nostræ argumentum subministrat.

Quicunq; se supra omne, quod est D E U S, effert, imo semetipsum pro D E O gen-
ditat, is est AntiChristus Magnus.

Papa Romanus est talis ὑπεραρχόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενος Ἰησοῦς: imo se-
ipsum pro DEO bendit.

Ergo Papa Romanus est AntiChristus Magnus.

72. Minorem, cuius probationem urgebunt adversarii, probamus tali medio:
Quicunq; se 1. supra quosvis ubiq; terrarum ac gentium Monarchas, Imperatores;
Reges, Principes, Dynastas, quos Deorum nomine Spiritus S. indigitat, Psal. 82. v. 6:
2. supra omnes caelestes potestates & Angelos, 3. supra leges, jura & scripturas sacras;

ſe effeſſi:

se effert, DEI nomen & Majestatem sibi tribui patitur, à DEO ipso se anteponat non cessum est.

Papa Romanus est talis: Ergo. opimel non malum in malo. Bulli suorum Major sua luce lucet. Minorem iterum confirmant elogia Canonistarum maxime blasphema.

73. His enim 1. afferitur, Imperatorem summum in orbe Christiano Magistratum esse Papæ vasallum, & imperium ab eo feudi nomine teneri. Jus eligendi Imperatorem ad Papam spectare, Papam esse dignitatem majorem Imperatore, tanto intervallo, quanto Sol Lunam, & aurum plumbum supereret. Imperatorem Pontificis in equum ascendentem stapedem tenere debere, inq; convivio aquam ad lotionem manibus praebere, & quæ sunt hujus generis alia auditu cuvis Christiano peccatori horrenda & execranda.

74. His quoq; 2. afferitur, Papam habere idem consistorium cum DEO, idem tribunal cum CHRISTO, ejusq; potestatem se extendere ad cœlestia, terrestria & infernalia, quam ob causam Clemens VI. in Bullâ indulgentiarum Angelo se maiorem esse, imò Angelis cœlorum præcipere posse, superbissimè gloriatus est.

75. His etiam 3. afferitur, quod major sit Papæ & ejus Ecclesiæ, quam ipsius fratres sanctæ Scripturæ autoritas, undē blasphemæ istæ voces enatæ, quod Papa etiam contra Pauli Epistolas aliquid possit statuere, & dictis Apostoli derogare, imò contra V. & N. T. dispensare. Hinc enim Papa Martinus V. cum quodam ita dispense scribitur, ut sororem suam germanam impunè in uxorem haberet.

76. His insuper 4. scribitur, Papam DEUM appellatum esse à Constantino, idē, quia possit facere, quæ Deus facit, & quæ sunt hujus generis encomia alia. Quis ergo nunc dubitaret, & non per se judicium facere posset, Pontificem maximum vel idē se supra sanctissimum divinorum mandatorum autorem DEUM altissimum extulisse, & sic esse verè AntiChristum Magnum?

77. Verum & hic habent, quod obtendant aduersarij, primò concedentes, Papam esse Monarcham summum; AntiChristum verò non tantum simpliciter Monarcham futurum, sed etiam Monarcham totius mundi, & quidem talem, qui palam & expressis verbis sit dicturus, se esse Dominum omnium Regum, scilicet majorem esse aeterno DEO. Talis Monarcha cum autem Papa non sit, non sine injuriâ inferri clamitant, Papam esse AntiChristum.

78. Sed respon, nata' aeviorib; ob principii petitionem. Falsissima enim major hæc est Propositio, siquidem nullibi in Scripturâ talis nobis AntiChristus depingitur, qui fucatus sit Monarcha totius mundi, quiq; diserte conceptis verbis se majorem DEO esse dicturus est. Hac enim ratione certò ne unicum, nisi planè demen-tem aseclam esset habiturus. Proinde, quia præter & extra omnem Scripturam hoc nudè ita afferitur, idē facile per se expirat. Et licet Pontifex Romanus palam hoc verbis non asseveret: certum tamen est, quod ipso facto se DEO majorem videri cupiat.

79. Deinde obtendunt aduersarij, contra hanc Notam grunnientes, ipsum Pontificem Romanum nunquam usurpare hostitulos: sed quosdam viros bonos studio quodam erga sedem Romanam non malo in hasce hyperbolas erupisse. Ipse enim, inquit, Pontifex vocat se servum servorum Dei, gerit se pro vicario CHRISTI, ipsem et utitur medico & milite, ad vitæ & sanitatis custodiā; quod certè non faceret, si divinâ pollebat virtute & autoritate.

80. **Verum respon.** Futilem & inanem esse hunc quoq; colorem ad tam crassas & insigne blasphemias excusandas. Nam, quod i. pontifex se vocat servum servorum, illud fit saltē interdum, non semper, neq; aliter, nisi ore tenus & hypocri-
cē, verbis duntaxat, dum interim facto ipso se tanquam Regem Regum, & Domi-
num dominantium ostentat. Ita, licet se vicarium CHRISTI nominet: alibi
tamē ostendit, ipsum idē non esse; non enim sufficit, ut quis jactet & gloriatur
se CHRISTI vicarium, cūm interim & in doctrinā & in vitā CHRISTO maxi-
mē adversetur. Sic quoq; absurdum non est, ut is divinam virtutem sibi arroget,
& ab aliis sibi tribui patiatur, qui potentiam humanam metuere cogitur.

81. Quod autem prætextum studii bonæ intentionis attinet, nihil efficiunt ad-
versarii talibus strophis. Si enim Pontifices seriō istos titulos aversantur, aut ex-
āstiment intemperatissimis istis elogiis, quibus Papæ tribuitur id, quod soli aliās
DEO convenit, occasionem subministrari erroribus profligatissimis, cur non dam-
nant istos libros & titulos, Deoq; aliquando & veritati laudem dant ac testimonī-
um? Quām diu igitur Pontifex istos libros pro falsis ac hæreticis scriptis non de-
clarat, tam diu sese omnium blasphemiarum, quæ iis continentur, reum consti-
cut.

82. Profligatis igitur hisce nugis, adhuc firmiter concludimus:
*Quicunq; in Ecclesiā DEI sedens se non solum patitur DEUM à suis appellari, sed di-
vinam potestatem & autoritatem attribui, is ostendit in Ecclesiā se tanquam DEUS,*
seḡ supra DELM extollit.

*Atqui Papæ Romanus in Ecclesiā patitur, se non modō DEUM appellari, sed & di-
vinam virtutem sibi tribui.*

*Ergo Papæ Romanus ostendit se tanquam DELM, seḡ supra DELM extollit, &
per consequens est ipissimus AntiChristus.*

QUARTA NOTA

A doctrinā AntiChristi.

Quod usum certorum ciborum & legitimi matrimonii prohibeat.

83. Hoc gnorisma assumptum est ex i. Timoth. 4. v. 1. & 3. ubi Apostolus inquit: Spiritus certò loquitur, quod in posterioribus temporibus descendent quidam à fi-
de, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis Daemoniorum, per simulatio-
nem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium nu-
dere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratiarum ac-
tione fidelibus. Ex quo signo iterum inferimus:

*Quicunq; apostata posterioribus mundi temporibus doctrinam demoniacam tradit,
jubendo abstinere à legitimo conjugio, & cibo à DEO creato, is est AntiChristus.
Pontifex Romanus est talis apostata. Ergo.*

84. Majorem probamus ex textu, siquidem Paulus non loquitur de omni apo-
statā; sed de tali, qui posterioribus temporibus sit defecturus. Posteriora autem
sive ultima tempora ea nominantur in Scripturā, quæ inter utrumq; adventum
CHRISTI interfundunt. Et quia hoc ipsum tempus novissimum vicissim in suas
quasi partes dividitur, idē vocat posteriora tempora, ut ostendat, se propriè notare:
tempus invalidi regni AntiChristianī.

Minor,

*Minor, quod Papa jubeat abstinere a cibo & conjugio, est extra controversiam.
Firma igitur & conclusio.*

85. *Ceterum, quid hic obtendunt Pontificis? Initio negant, Apostolum Papam no-
bare: sed potius Tacianum & Encratitas, qui & ipsi conjugium damnarunt, & ciborum
discrimina urserunt.*

86. *Verum respon. Majorem nostram satis esse limitatam. Non enim simpliciter ita argumentamur: quicunq; prohibet usū conjugii & ciborum, is est AntiChristus propriè sic dictus: sed loquimur de eo, qui ultimis & posterioribus temporibus id faciet. Jam verò, licet ex Historiâ Ecclesiasticaâ constet, Encratitas quoq; ab-
stinentiam conjugii prædicasse, ciborumq; quorundam usum prohibuisse: attamen Encratitæ id non fecerunt posterioribus temporibus; erant enim illi temporibus Apostolorum vicini, quemadmodum ipsorum Ἡλαξ̄ Tacianus, discipulus Ju-
stini Martyris Anno 170, martyrio coronatus esse perhibetur. Respxit igitur A-
postolus ad aliam apostasiam futuram circa posteriora mundi tempora, qualis sub
Papatu accidit.*

87. *Deinde per annos utrav & eos qui deficiunt, non intelligit unum & alte-
rum Apostatarum, de quorum à nascitur non opus erat ita peculiare edere vatici-
nium, siquidem Apostolorum tempore id non erat infrequens, ut aliqui deficerent
à fide: sed quia Paulus singularem quandam à nascitur, ut novum quid & inex-
pectatum, describit, credibile est, ipsum respicere ad magnam illam, & præ cæteris
insignem propeq; universalem à nascitur tempore AntiChristi Romani futuram,
quod de Encratitis dicere minimè fas est, utpote quorum secta usq; adeò non erat
celebris, nec diuturna, nec Ecclesiae tam pernicioſa, ut opus fuisset tam illustri
vaticinio illam perstringere, licet interim & hæc secta fuerit particula quædam erro-
rum & corruptelarum, è quibus doctrina Romani AntiChristi postmodum con-
fata est.*

88. *Verum ne sic quidem acquiescant adversarii: sed obvertunt, Papam Romanum
neḡi conjugium in universum, neḡi generatim omnes omnino cibos prohibere, ideoq; ad
ipsum non pertinere hoc Apostoli vaticinium.*

89. *At non nisi malitiosè iterum injuriam faciunt Apostolo. Neq; enim per
sonnum quidem Apostolo in mentem venit, vaticinari de ejusmodi doctoribus,
qui conjugium usumq; ciborum simpliciter prohibituri sint. Is enim tam crassus
est error, qui nullum unquam, nisi extremè amentem applausorem esset repertu-
rus. Sed loquitur de prohibitione relatâ & distinctâ, distinctorumq; statuum
consideratione limitatâ: non verò absolutâ & simplici, quâ ratione genus huma-
num ne ad exiguum quidem temporis spaciū consistere posset, istos duntaxat do-
ctores notando & taxando, qui certo cuidam ordini conjugii usum abrogandum,
statoq; tempore certos cibos vetitos habendos esse doceant, id quod sub Papatu in
universo ordine Ecclesiastico ita adimpletum est, ut Monachis citius permittan-
tur aliquot publica scorta, quam una legitima conjunx.*

90. *Quod si ulterius instent, nemini cuiquam prohiberi conjugium simpliciter, si-
quidem nemo cogatur ad ordinem Clericorum Ecclesiasticum.*

91. *Respondeo, Nullam esse rationem in copulato. Non enim sequitur nulli ex-
tra Sacerdotium prohibetur conjugium. Ergo simpliciter nulli prohibetur. Quā-
vis enim nemo cogatur ad Sacerdotium: notum tamen est, eos, quicunq; in eo or-
dine:*

Dine versari cupiunt, mediante religioso pietatis voto quasi jurejurando cogi, vita genus connubiale penitus abjurare; quod tamen Ecclesia Ministris concessum esse patet, non tantum ex Apostoli mandato 1. Tim. 3. v. 2. sed etiam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Sacerdotum & Apostolorum confirmari potest.

92. Neq; se purgabunt isto casillo, quod olim quidem & conjugii & ciborum usus omnibus indiscretè concessus fuerit, nunc autem autoritate Pontificis maximi cundem esse prohibitum. Apostolus enim non tantum suo tempore vult neminem judicari, cum in conjugio, tum in cibo & potu, & aliis rebus indifferentibus: sed palam dicit: Si quis etiam posterioribus temporibus (de quibus in specie & secundum literam verba facit) tale quid prohibeat, eum huic impio impiorum doctorum cœtu esse accensendum, talesq; doctrinam expressè appellat doctrinam Daemoniorum, atq; inter Notas venturi AntiChristi notanter reponit, quemadmodum & Daniel prædixit de AntiChristo, cap. II v. 37 ipsum non curatrum amorem mulierum, non quod omnem omnino illicitum etiam amorem, & non naturalem Veneris usū sit aversatus: sed quod castum illum amorem propriæ uxoris conjugalem sibi & universis in ordine isto Sacerdotali viventibus, sit planè interdicturus.

Q. V. I N T A N O T A.

A modo, quo regni sui pomæria dilatabit.

Quod AntiChristus cum signis & miraculis se ostenteret.

93. Quintum inter gnorismata locum, ex quibus AntiChristus haud obscurè dignosci potest, vendicant sibi Miracula. Prædixit enim Salvator, Antichristos & Pseudoprophetas edituros esse signa magna, adeò ut si fieri possit, etiam in errorem seducerentur electi. Et Paulus 2. Thess. 2. v. 9. scribit de Antichristo, ipsum venturum esse secundum operationem Satanæ, cum omni potentia, & signis ac prædi-
giis mendacibus. Et Johannes in suâ Apocalypsi refert, bestiam bicornem, i.e. duplificem gladium sive potestatem, tam spiritualem quam civilem insolenter sibi arrogantem, sub prætextu verborum Petri, Ecce duo gladii hic; facere signa magna, quæ stuporem parient, ut etiam ignem faciat descendere de cœlo, Apocal. 13. v. 13. Verbis istis nihil aliud denunciando, quam Antichristi regnum confirmatum iri miraculis, quæ magna quidem coram mundo videbuntur, licet, Paulo interprete, sint mendacia, tum quod in fraudem veritatis occultis & dolosis artibus perficiantur, tum quod ad mendacem Antichristi doctrinam, & superstitiones ejus stabiliendas, unicè directa & accommodata sint. Unde iterum sic argumentamur:

Quicunq; per signa & miracula mendacia virtute satana confecta se ostentat ad stabilienda mendacissima sua dogmata & homines seducendos, is est Antichristus.

Pontifex Romanus per signa & miracula quamplurima virtute satana confessus se ostentat, cum in finem, ut & dogmata sua confirmet, & homines seducat.

Ergo Pontifex Romanus est Antichristus.

94. Majorem hanc ipse format Beccanus in suo opusc. de Antichristo, sub initium cap. 9. ita scribens: Constat Antichristum & ministros ejus facturos multa signa & prodigia, ad seducendos homines, faciet autem illa ope Diabolica, nec erunt vera miracula, sed falsa & apparentia. Questio autem est tantum: An Pontifex faciat hujusmodi prodigia falsa ad decipiendos homines, quod quidem aduersarij affirmant.

95. Minorem probamus iis adhuc rationibus, quas Beccanus ipse d. l. adducit.

Verum

Verum ne gry quidem respondet: sed nudas tantum nugas & calumnias esse calu-
miniatur.

I. Quia in Catholicorum Pontificiorum libris multa commemorantur miracula,
qua ab ipsis conficta sunt; neq; unquam contigerunt.

II. Quia Pontificii gloriantur de multis miraculis in Japoniam editis, quorum
tamen nulla huc in Europam facere possunt.

III. Quia mentiuntur, statuas in Ecclesiâ progreedi, consistere, ridere, nutus
dare, & alios motus exercere, fingunt animarum e purgatorio venientium lacry-
mas, suspiria, petitiones, confessiones, fingunt Christi, Mariæ, Apostolorum
crebras visiones, fingunt morborum sanationes, & id genus mille ludibria.

IV. Quia illusiones Satanae numerant inter vera miracula, cujusmodi multa
sunt in libris dialogorum Gregorii Magni, hominis superstitionissimi.

96. Has quidem rationes initio nullâ response dignas judicat Beccanus: ve-
rum nos tantisper eas ratas ac firmas esse credimus, donec audiamus, quid in con-
trarium disceptari possit: immemor tamen hujus suæ, quam initio fecit, pollicita-
tionis Beccanus, singulas infringere, sed frustra laborat. Audiamus igitur, quid re-
pondeat adversarius?

97. Ad 1. & 3. rationem nihil aliud reponit, nisi ut non simpliciter neget, mul-
ta facta & excogitata miracula libris Pontificiorum crepari, id quod ipsum sufficit
ad probationem nostri syllogismi minoris.

Ad 2. Cur scil. Jesuitæ in Japoniam plura miracula faciant quam in Europam, di-
cit causam esse 1. confirmationem fidei, quod doctrina Evangelij jam satis sit miraculis
confirmata. 2. incredulitatem adversariorum, quod impediri putat ipsorum miracula:
verum eur Jesuitarum miracula hoc tempore pro divinis & genuinis habere non
possimus, causæ equidem plures sunt, inter quas non postremum locum obtinet,
quod nullus eorum finis & usus animadvertisatur, & satis superq; constet, virtutem
illam miracula faciendi jam dudum expirasse. Deinde etiam constat ex verbis
Christi, Matth. 7. v. 22. postremis præsertim temporibus non fideles, sed Pseudo-
prophetas & impios magna edituros esse signa, juxta assertionem hypocitarum di-
centium: Nonne Daemonia ejecimus, virtutesq; multas præstimus?

Ad 4. rationem petit causam, cur Gregorium M. hominem superstitionis boce-
mus, Et unde constet, meras illusiones Satanae & non vera miracula esse, qua ab illo re-
censentur. Verum respon. superstitionis nos ipsum dicere ideo, quod doctrinam
de purgatorio tradat ac tueatur: illusiones Satanae, & miracula mendacia vocamus,
quia habentur ibi multa, quæ partim planè facta & nunquam facta, partim vero
planè impia & superstitionis esse, quilibet per se intelligit, nisi talpâ cæcior esse velit.
Et ut è multis aliqua recenseamus, videatur in istis dialogis lib. 2. cap. 28. fabula de
Benedicto, jubente vas vitreum, continens pauxillum olei, foras in faxa projici,
nec tamen illud confractum. Videatur eod. lib. cap. 38. narratio de muliere quâ-
dam mente captâ. & in specu Benedicti sanata. Item lib. 4. cap. 16. de Tursillâ ami-
câ suâ, & quæ sunt ejus generis fabulæ aliæ quamplurimæ:

98. Ceterum, quid porrò Jesuita excipiatur, dispiciendum erit. Negat Pontificem
facere prodigia mendacia: sed quo argumento?

Antichristus, (inquit,) deducet ignem de celo, Apoc. 13. v. 13.

Pontifex hoc non facit.

Ergo Pontifex non est Antichristus.

Verum

Verum respondeo, fallaciam committi à dicto secundum quid ad dictum simpli-
citer. Non enim in visione istâ Apocalypticâ cap. 13. v. 13. agitur de igne propriâ
sic dicto: sed metaphoricè vocabulo ignis notatur ignis excommunicationis Papal-
is, quem ejaculari solet Romanus Pontifex in Principes orbis terrarum, si qui pla-
citis ipsius & impudentissimis postulatis acquiescere detrectaverint.

99. Olfaciens verò Becanus hanc solutionem usitatam ulterius excipit, Iohannem
hic agere de magno miraculo. Excommunicationem verò non esse magnum miraculum.
Ergò.

100. Respondeo, Quamvis ipsa excommunicatione non sit miraculum propriè di-
ctum, sicut etiam Johannes de nullo miraculo loquitur, sed de signo, quæ vox no-
nat quodvis mirandum opus, sive Dei virtute, sive Diaboli operâ perficiatur: atta-
men fulmen illud excommunicationis Papalis magnum omnino olim signum fuit,
non quidem reverâ & in se: (Erat enim & adhuc est contemnenda maledictio,
quippe coram Deo irrita, & in autoris sui caput recidens) sed persuasione homi-
num, quippe quæ populi tūm temporis erat simplicitas, credebarur, fulmine ira
Dei & igne cœlesti esse gravida. Proinde, si aliquando Papa Romanus vel Impera-
torem aliquem, vel Regem, vel Principem, qui ipsius libidini obsecundare nollet,
excommunicabat, suisq; Bullis nefariis ad Orcum relegabat, ibi in modum altissi-
mi Dei tonare, fulgurare, fulminare, nec non sulphur & ignem, tūm cœlestem,
tūm infernalem, in eos vibrare videbatur.

101. Frustrâ igitur laborant Becanus & alii, sedis apostaticæ patroni, quod præ-
cisè hinc literam urgeant, quasi AntiChristus elementarem ignem ex aëre sublimio-
gi mittere aut effundere debeat, & nisi hoc ostendatur impletum in Pontifice, infel-
latur, ipsum non esse AntiChristum. Est enim prophetia, ubi absurdum est, omnia
ad literam interpretari. Egregiè quippe hoc impletur, quoties Papa è maledictâ
suâ sede strepitu horrisono excommunicationis fulmen ejaculatur in eos, quos sibi
suisq; cathedræ novit esse contrarios.

102. Pergit autem Becanus d. l. & adhuc alio medio instat: Hoc modo, (inquit)
licebit & alia Scriptura dicta interpretari, utpote 4. Reg. 1 v. 10. Elias dixit quin-
quagenario, Si homo DEI sum, descendat ignis de cælo, & deboret te & quinquagin-
zatos, i. e. juxta glossam Nostrorum: Seniat excommunicationis Papalis, & percellat
vos. Sic Luc. 9. v. 54. DOMINE VIS dicamus, ut ignis descendat de cælo, & con-
sumat illos? i. e. Domine vis dicamus, ut hi excommunicentur?

103. Inepta hæc esse dicit Becanus, ipse interim ineptissimus omnium. Probè
enim novit regulam omnium Logicorum, à particulari ad universale non valere
consequentiam. Non enim sequitur, in hisce & illis dictis vocabulum ignis pro-
priè sumitur: Ergò ubiq; & nuspam metaphoricè. Deinde distinguere debebat Be-
canus, inter historiam & visionem. In adductis duobus locis à Becano: vera re-
censetur historia, & Apostoli expressè volunt, ut eo modo ignis cœlitus descende-
ret, quo Elias de cœlo illum provocasset. In Apocalypsi verò, nec historia recita-
tur, nec talis limitatio additur: sed nuda habetur visio & prophetia.

104. Alterum argumentum, quo ex hoc capite Becanus disputat, Pontificem non
esse AntiChristum, tale est:

AntiChristus faciet, ut imago bestia loquatur, Apoc. 13. v. 15.
Pontifex Romanus hoc non facit.

Ergò Pontifex Romanus non est AntiChristus.

105. Re-

105. *Respondeo*, Argumentum hoc laborat homonymia phraseos. Aut enim p̄ntr̄s secundum literam (quam proximo argumento admodum vehementer ursit adversarius) vult AntiChristum siquand̄ venerit effecturum, ut imago quædam iconem bestiæ referens, ad id peculiariter fabrefacta, vivat & loquatur; aut allegoricè concedet, per imaginem bestiæ intelligi Romanum imperium, per barbaras nationes mirificè vastatum & eversum, quod Papa loqui fecit, quando effecit, ut aliquo modo per Carolum Magnum respirârit, & vires alias recuperârit, quamvis ad prioris dignitatis fastigium nunquam pervenerit. Utroquè modo ad Romanum Pontificem facili negocio accommodari potest. Nam si priori sensu accipias, (qui quidem ridiculus satis est) constat, s̄pē numero sub Papatu evenisse, ut imago quædam & loqui, & vivere visa fuerit, non quidem reverâ, sed ad apparentiam & opinionem hominum, fraude scil. Monachorum, qui in statuas grandiores excavatas sese abdebat, & per illas loquebantur ad astantes, ita ut imago statuæ vivere videretur & loqui. Si autem posteriori allegorico sensu sumas, qui præsentis loci Apocalyptic vera est declaratio, quid obstat, quò minus assentiantur Papicolaæ dicentes, imaginem prioris bestiæ, i. e. restauratum Imperium Romanum doctum iri à Papâ loqui, siquidem Pontifex Romanus tribuit ei statuta & ordinationes, suiq; Juris Canonici Leges cum Legibus Juris Civilis miscet & conjungit, quæ Leges erunt instar loquelæ bestiæ, è quâ colligetur, rediisse illam ad aliquam Imperii & Politiae formam.

106. Perro & hic instat Becanus inquiens, restaurare Imperium non esse miraculum, siquidem boni & mali id possint per industriam humanam. Tribui autem per illa verba AntiChristo ejusmodi miraculum, quod superet omnem naturæ sim, & à solo D E O fieri possit.

107. Sed respon. Committit Becanus hīc turpiter petitionem principii, dum item pro confessio sumit, quod maximè probatione indiget. Simpliciter enim & impium & falsum est, AntiChristū ea miracula facturū, quæ solius Dei sint: talia enim miracula nusp̄iam, neq; Papæ, neq; AntiChristo, neq; Diabolo, nec ulli alii tribuntur in Scripturā. Concludimus ergo & hoc gnorisma, ex eo ostendentes, Papam Romanū verè esse AntiChristum, siquidem miraculis & signis fallacibus se ostentat.

SEXTA NOTA

A vitiis & sceleribus AntiChristi

Quòd AntiChristus sit apostata, idololatra, hypocrita, avarus & Simoniacus.

108. Sexta Nota, ex quâ AntiChristum facili negocio agnosci posse Spiritus Sanctus prædictit, sumitur à vitiis & sceleribus, quæ in regno ipsius impunè prorsus grassatura prænunciat, cujusmodi sunt apostasia, idololatria, hypocrisia, fastus & superbia, scortatio, (de quibus vitiis duobus posterioribus hactenus dictum est) inexplebilis avaritia. Quæ vicia singula & universa, cùm in regno Pontificio tām sint clara & perspicua, ut ea qui non videat, eum in ipsa meridie cæcutire necesse sit, patet vel hinc, Pontificem Romanum optimo jure vocari AntiChristum Magnum, quippe qui non modò ipse scelerum plenissimus est: sed etiam eorundem fidele patrocinium & defensionem suscipit.

109. Ac primò quidem ἀποστολαν quod attinet, eam ceu signum infallibile exprimit Apostolus 1. Thessal. 2. v. 3. inquiens: Non adveniet DOMINUS, nisi

D

prius

prius venerit nō à negotiis defecit à fide. Quid autem Apostolus per defectionem istam intellectum velit, verbis immediate sequentibus mox ostendit, videlicet non quamvis defectionem: sed insignem à multis principalibus fidei salvificæ articulis, qualis defectio facta est tempore AntiChristi Romani, sub cuius regno à Christianâ fide innumerabiles copiae & hominum miriades defecerunt. Sic igitur & ex hac Notâ firmiter argumentamur:

AntiChristus defecit à fide.

Papa Romanus defecit à fide.

Ergo Papa Romanus est AntiChristus.

110. Minorem probamus, quia Papa Romanus non tantum nova sudindè dogmata finxit Scripturæ sacræ è diametro contraria: sed etiam multas veteres hæreses postliminiò quasi revocavit, adeò ut nullus fermè sit Religionis Christianæ articulus, à cujus veritate & puritate Papa Romanus cum suo Clero non defecerit, quemadmodum hoc abundè à nostratis multis præclarissimis scriptis ad nauseam usq; ipsis ostensum est.

111. Sed & contra hoc iterum insurgunt adversarij, negando simpliciter, Papam defecisse à fide: eam verò defectionem, de qua, agit Apostolus, interpretantur politice, de Romani Imperii dissipatione & secessione populorum ac gentium ab eodem Imperio, de qua etiam Daniel prædixerit cap. 7. v. ubi ait, Monarchiam hanc prius dissipandam esse, quam DOMINUS mundum adventu suo opprimat. Exinde pro Papa suo ratiocinantur: AntiChristum demum post excidium Romani Imperii venturum esse; Jam verò, cùm Imperium Romanum nondum planè dissolutum sit & excisum, impossibile quoq; esse, Pontificem suum esse AntiChristum.

112. Verum quid ad hoc argumentum responderi possit aut debeat, infra Capite secundo videbimus. Audiamus interim rationes adversariorum, quibus expressè negant, Papam Romanum à fide defecisse.

113. Johannes Pistorius in suo libro, quem inscripsit Wegweiser vor die verführten Christen cap. 14. & Beccanus nostrâ hâc atate Jesuitici agminis, penè præcipuus in suo libro de AntiChristo cap. 3, tria reponit, ad quæ sibi responderi postulat. Primum petit sibi ostendi tempus, quo scilicet tempore Papa defecerit? Deinde in quo fidei articulo? Tertio, an eo tempore, quo Papa defecit à fide, remanserit aliqua Ecclesia visibilis in terris? & quanam illa fuerit?

114. Verum ut ad singula ordine respondeamus, ad primum dicimus, non opus esse, temporis articulos & momenta inquirere, quando & quo tempore Papa primum defecerit, modò ostendi possit, Papam à doctrinâ Christi & Apostolorum defecisse. Ut enim stultus & stolidus esset is, qui vel media nocte negare vellet esse tenebras, assignatâ hâc ratione, quod præcisè ipsi non possit indicari, quo horæ mento diei & noctis separatio facta sit. Et ut ineptè faceret is, qui nostro hoc tempore negaret, Judæos defecisse, propterea, quod strictè ostendi non possit, quo tempore & quis primum à veteri Synagogâ summorum Sacerdotum defecerit. Ita non minus stolidi sunt & inepti Pontificii, negantes, Papam à fide unquam defecisse, propterea, quod exactè tempus demonstrari nequeat, quo temporis anno aut die defecerit; licet interim palpiles errores ipsi demonstrare haud sit difficile.

115. Ad alterum q̄ntuā dico, Papam non in uno, sed in quamplurimis articulis Christianæ doctrinæ defecisse. Id quod constat ex collatione doctrinæ CHRISTIANAE

STYLIS

stri in Scripturis propositæ, & dogmatum Papæ Romani in præcipuis Religionis Capitibus, quam & hic ostendere minimè foret operosum, si modò instituti hujus ratio pateretur, neq; res per se ipsa loqueretur, & ab aliis hactenus satis superq; es- set demonstratum.

116. Ad tertium dico, adversarios plus subsumere quam par est. Non enim dicimus, quod Papa cum universâ Ecclesiâ defecerit; sic enim nulla remansisset Ecclesiâ: sed loquimur de maximâ parte Ecclesiæ. Quomodo verò, & quâ ratio- ne sub Papatu Ecclesia aliqua manferit, & adhuc sit, de eo dictum est supra thesi 53.

117. Alterum scelus, quod AntiChristo Spiritus S. assignat, est *idololatria* quæ tribuitur ipso, Dan. ii. v. 37. ubi dicitur, quod præter verum Jehovam culturus sit alium, quodq; in idolatriâ promovendâ nec auro nec argento, nec ulli rei precio- sâ parcet, & hanc idolomaniam S. S. in Apocalypsi cap. 17. v. 4. fornicationis no- mine indigit, juxta vulgatissimum Scripturæ morem loquendi.

118. Viguisse autem & adhuc vigere sub Papatu summam idololatriam, patet experientiâ. Fingit enim Papa Romanus contra primum Decalogi præceptum Deos alienos, dum jubet adorari virginem Mariam, & alios sanctos defunctos, ve- nerari imagines, sculptilia &c. Sicut & illa non postrema idolomania Pontificiæ species est, quod salutis spes sub Papatu collocetur in bonis operibus, in idolo mis- sae, indulgentiis Pontificiis, Eleemosynis, peregrinationibus, castitate & pauper- tate spontaneâ, cucullis, veste Franciscanâ & consimilibus aliis. Unde iterum argumentamur:

Quicunq; præter unicum verum Jehovam colit idola, n̄ est AntiChristus.

Papa Romanus colit idola.

Ergo Papa Romanus est AntiChristus.

119. Verum Pontificii, ne aliquid intactum relinquant, hoc quoq; argumentum ne- farie impugnant, sicut videre est in Opusc. Becani de AntiChristo cap. 8. qui hanc notam à Papa amolitus dicit, distinguendam esse & limitandam hanc phrasin: siquidem AntiChristus non simpliciter sit futurus idololatra, sed etiam publicè oppugnaturus omnes Deos, & omnia idola. Solus enim, (inquit,) solet se adorari tanquam DEUM, privatim verò & occultè adoratus est Diabolum, cum quo pactum inibit perpetuum, quod velit eum adorare, si vicissim illius ope possit regnum & potentiam terrenam adi- pisci.

120. Sed respondeo, merum hoc esse figmentum cerebri humani, & facilius hoc dicit adversarius quam probat. Fingunt enim tale quid Pontificii, eum saltem in finem, ut tales AntiChristum nobis depingant, qui nec venit in mundum, neq; est, neq; unquam venturus est. Nuspian enim legitur de AntiChristo, quod con- ceptis verbis DEUM oppugnaturus, Diabolum verò adoratus & veneratu- rus fit.

121. Deinde quod addit, mendacium esse, Papam pro vero Deo colere id, quod non est Deus, ideo quod in Papatu per horribilem cœlum atque panis consecratus pro CHRISTO habeatur, & ut Deus quidem pronus adoretur; siquidem non panem ado- rent, sed Christum in pane latenter; beatam verò Mariam & alios sanctos, non ut ido- la, nec ut DEUM, sed ut DEI amicos.

122. Respon. Cuculum hic suum coccysmum ingeminare. Vetus enim hæc est cantilena Pontificorum, Scriptura verò tales modum sanctos colendi, & panem

eucharisticum adorandi, siquidem C H R I S T U S in pane lateat, non communis-
trat: sed simpliciter pronuciat, omne id idololatricum, quoquo modo aliquid ex-
tra Deum vel religiosè adoratur vel invocatur.

123. Et ridiculus certè est Becanus, quando eodem in loco dicit, ex hoc fundamen-
to nos ipsos peccare, & esse idololatras, quod D E U M colamus adeundo templum die Do-
minico, & ē u x a c e s i a s sacramentum ante tempus prandii sumendo. Colimus enim
D E U M audiendo verbum, & utendo Sacramentis ratione mandati: quod autem
die Dominico id fiat, id facimus nudi ordinis causa, nec in illâ temporis circum-
stantiâ peculiarem cultum ponimus; siquidem pro libertate nostrâ Christianâ alio
tempore & die fieri posset, qui Deo æquè gratus esset ac dies Dominicus. Proinde
malè facit adversarius, à rebus adiaphoris & mediis concludendo ad id, de quo ex-
pressum verbum & mandati & prohibitionis habemus.

124. Tertium scelus est Hypocrisis. Veniet enim AntiChristus in splendore si-
etæ sanctimoniae, quo tanquam fascino hominum oculos perstringet, quam ob cau-
sam etiam tam splendido apparatu introducitur ab Evangelistâ, Apocal. 18. v. Ba-
bylon AntiChristianæ, & AntiChristus ipse sedem illam occupans assimilatur be-
ñia habenti duo cornua similia agni, quamvis interim loquatur ut Draco, quia sub
 nomine Agni CHRISTI totum mysterium iniquitatis perager.

125. Talem ὑποκρισίν in Romano Pontifice esse, patet non tantum ex eo, quod
omnes suas superstitiones etiam impiissimas, & in D E U M maximè blasphemas,
mysterii nomine venditet: sed etiam ex singulari ornatu & pelle ovinâ, quam cum
suo Clero induit, dum interim Draconis & Lupi voces emittit, veramq; Ecclesiam
miserrime vastat & populatur.

126. Neḡ est, ut quis dicat, Papam bel. ideò non esse hypocritam, siquidem herbis
dissentis se pronunciet serbum serborum D E U M, Candidè enim an hoc dicat vel non, ex
eo judicari potest, quod etiam summis & potentissimis Monarchis sit infensissimus,
quos ex nimio fastu despicit, eosq; haud raro per suos sicarios & veneficos sub præ-
textu Religionis Catholicae è medio tollere studet, si modò ipsius libidini resistant.
Unde etiam literas indulgentiarum impertiri solet, & ab omni fide suo Magistra-
tui dato absolvere, quando aliquis suam ipsi spondet operam, quod in gratiam &
honorem & commodum sedis Romanæ hunc vel illum Principem, vel aliam perso-
nam, velit è medio tollere.

127. Quartum scelus est Simonia, sive avaritia inexplicabilis, quæ in Apocalypsi
sub typo nundinationis describitur, quam & Petrus attingit de AntiChristo ejusq;
gregalibus scribens, esse illos per avaritiam fictis sermonibus negotiatores: id verò
Papam Romanum cum suis Cardinalibus & universo ordine factitasse. haec tenus,
& adhuc facere, patet ex historiâ indulgentiarum Papalium, & ex taxâ illâ pœni-
tentiariâ, quam D. Hunnius p. m. libro suo de indulgentiis & jubilæo Romani Pô-
tificis præfationis loco præmisit.

128. Pretendunt equidem Bellarminus & Jesuitæ alij pecunias ex indulgentiis
collettas, non in Pontificem, nec in malum usum, sed ad pauperes pervenire, & Eleemo-
synas esse, quæ in subsidium egenorum colligantur.

129. Verum, veras Eleemosynas eas non esse, vel ex eo cuivis patet ad oculum,
quod omnis Eleemosyna, quæ Deo probatur, sit liberrimæ voluntatis. In ea enim
non taxa aliqua constituitur, quid & quantum quisq; debeat contribuere: sed li-
berria.

berrimum unicuiq; relinquitur, Quia autem Pontifex certam taxam præscribit, a deo ut sæpenumero magnæ querelæ motæ fuerint in publicis conventibus, de pecuniis istis ex negociaione Papæ corrogatis, mirisq; dolis & artificiis regna & provincias Christianas expilandi, cuivis facile patet ad oculum, quod pecunia istæ veræ Eleemosynæ non sint, licet Jesuitæ eas hoc nomine venditent. Atq; hæc etiam de sextâ Notâ

SEPTIMA N O T A

Ab operibus AntiChristi.

*Quod suos adaugeat gloriâ, eisq; certum characterem imprimat,
Christianos verò misere persequatur.*

130. Inter alias Notas, quæ adhuc supersunt, septimo loco recensetur, quod Antichristus suis sectatoribus non solum certum characterem imprimat: sed etiam eosdem correcturus & in obsequio detenturus sit, largâ præbendarum, divitiarum, thesaurorum, imò integrarum regionum & regnum distributione, inter eos præsertim, qui fidelem præstabunt operam, in obfirmandâ sede AntiChristianæ suæ nequitiae. Sic enim Daniel vaticinatur, quod his, qui munit DEUM ipsius Maozim (per quem pleriq; tetur & execrandum Missæ idolum intelligunt) multiplices gloriam, & dæt eis potestatem in multis, & terram eis dividat gratuitò. Contrà verò crudelissimè sæviet in omnes eos, qui impiis illius edictis, placitis & dogmatibus parere noluerint; hinc enim in Apocalypsi Babylonica meretrix ebria scribitur de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum JESU. Hoc verò, quomodo in Pontificatu Romano impletum sit, & adhuc impleatur, ut eò evidenter patescat, singula ordine examinabimus.

131. *Ac primò quidem, characterem quod attinet, scribitur de eo Apocal. 13. v. 16. Et faciet (scilicet AntiChristus) omnes pusillos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos, habere characterem in dexterâ manu suâ, aut in frontibus suis, & ne quid possit emere aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, hîc sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.*

132. Jam verò, quod sub Papatu talis character hominibus imprimatur, & quidem in fraudem unici illius charagmatis sanguine JESU CHRISTI nobis impressi in baptismo, certum est. *Notamus autem hoc characterem nihil aliud, quam obligacionem ad regulas, leges & statuta Pontificia, quæ obligatio sub Papatu communis est, omnibus pusillis & magnis, divitibus & pauperibus, dominis & servis.*

133. Imprimitur verò diversimodè, vel in fronte, vel in manu, vel per chrisma, vel per unctionem, vel per juramentum fidelitatis & obedientiæ dexterâ manu præstitum, quo sine charactere etiam nemini sub Papatu conceditur emere aut vendere, i. e. nemini licet sacras celebrare Missas, & alia sacra peragere, nemini etiam præbenda & officia publica conceduntur, nisi quis prius fictitio & exorcisato christate, ex oleo & balsamo ab Episcopo, non sine diabolis execrationibus, & detestabili nominis divini abusu confecto, inunctus, in fronte characterem accepisset indelebilem, in animâ, uti Conciliabuli Tridentini autores loquuntur, sess. 7. Can. 9. manuq; dextrâ in regulas Pontificias jurasset.

134. *Neḡ verò ullius est ponderis & momenti, quod Bellarminus lib. 3. de Pont. Rom. cap. 11. & Becanus in suo opusc. de Antichr. cap. 10. objiciunt, & chrisma & iuramentum obedientie Romano Pontifici factum fuisse jam usitata ante tempora Gregorij Magni.* Quamvis enim non diffiteantur, chrisma esse ceremoniam priscam & antiquam, iuramenta etiam fidelitatis tempore Gregorii M. inventa esse : nihilominus tamen ritus isti nituntur nudis traditionibus humanis, quæ cùm postea superstitutionibus aliis auctæ sint, à tempore Gregorii M. cœperunt esse, certissima Nota Antichristi. Et hoc respexit Paulus 2. Thess. 2. v. 7. quando ait: *Mysterium iniquitatis jam suo tempore non nihil operari cœpisse* : quia autem ista iniquitas Imperio Romano nondum eversa in apertam lucem prorumpere non poterat, ideoq; collabente istâ Romani Imperii dignitate tandem vires suas plenariè exercere, & sic certissima Antichristi Nota fieri cœpit.

135. *Ad reliqua, quæ ex eodem loco Apocalypticō v. 18. de nomine bestiæ, & numero nominis ejus, videlicet 666. afferuntur à Bellarmino lib. 3. de Pont. Rom. cap. 10.* Dicimus equidem, esse numerum hominis, i. e. talem, qui ab homine supputari possit : sed quia idem Johannes addit, esse hīc sapientiam, i. e. magnum latens mysterium, adeoq; non exprimat idioma nominis, in quo numerus iste reperiatur, perperam faciunt Bellarminus & alij, quod sibi singant *proprium nomen & personale*, & ex apicibus vocum corruptarum, aut nominum priorum hunc numerum investigare laborent, sicuti Bellarminus non dubitat d. l. ex nomine LUTHERI & Davidis Chytrai, item σαζόνδ hebraicis literis scripto : sed valde ridiculè hunc numerum reddere, cum pari ratione ex nomine Bellarmini hebraicè scripto (si ita animi gratiâ ludere l' beat) idem numerus deduci possit : sed potius erit *nomen appellativum* ab adjuncto aliquo sumtum. Unde Irenæus lib. 5. adv. Hæreses, ex lingua istâ sanctâ sui temporis conjecturas exponens tria nomina produxit, quorum singula habent aliquid animadversione digna.

136. *Primum nomen est Εὐαῖθας, quod idem est ac pulcrè florens, quæ sanè vox statum regni Pontificii luculentissimè nobis depingit.* Nonné enim regnum Papale florentissimum est? sive ditionis amplitudinem, sive potestatis plenitudinem, sive opum immensitatem, sive honoris splendorem, sive laboris immunitatem & otii quietem, sive venerum dulcedinem & varietatem spēctes, & quicquid insuper deliciarum & suavitatis universo hoc mundo continetur?

137. *Alterum nomen est Τεῖταν, nomen Solis, qui quasi idolum quoddam à græcis & barbaris adoratur.* Cumq; Papa disertè in suis decretalibus Soli se comparet, tanquam luminari illi magno, qui Giganteâ sua magnitudine columnas orbis terrarum, Reges & magnates confringere possit, & hoc nomen non incommodè ad Romanum Pontificem accommodaveris.

138. *Tertium nomen est Λατῖνος, certæ gentis nomen, quæ conjectura rationem videtur habere manifestam & dilucidam è vaticinio Johannis ultrò profluentem, ut non dubitari possit, quin AntiChristus hoc ipso nomine dijudicandus sit.* Notat enim AntiChristum futurum *Latinum* : jam verò, cum Ecclesia Romana & antiquitatis dieatur *Latina*, & insuper omnes ritus & actiones ibidem *Latino* idiomate peragantur, Bibliisq; *Latinis* plus valoris & autoritatis tribuatur, quam ipsi fontibus Hebræis & Græcis, quis non crederet B. Johannem nomen AntiChristi à regno sumere voluisse, *Latinum* eum vocando, quemadmodum Anglus, Gallicus, Hispanus non semper proprio suo nomine vocantur : sed à suis quisq; regnis nomen obtinent.

139. *De-*

139. Deinde, quod Papa suos servatores in obsequio servet, largâ præbendarum & beneficiorum distributione, patet ex eo, quod Cardinales suos & Episcopos, qui ipsum venerantur, præq; ipso, tanquam pro aris & focis, voce calamoq; fortiter depugnant, ad id honoris fastigium evehat, ut jam Regibus & Principibus præferri velint, licet sæpenumerò ex infimâ fece hominum plebeorum genus suam deducant.

140. Objicit quidem & hic Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 21. ad Septimam demonstrat. Illyrici dicens: Scilicet Galde ditarit Johannem Eccium, Job. Cochlearum Ruffensem, Latomum, Petrum à Soto, & alios tam multos doctissimos viros, qui cum dies & noctes laborarent, ut bestros furores comprimerent, ne obulum quidem unquam à Romano Pontifice acceperunt, quamquam neq; ipsi mercedem ab homine expectabant, qui pro DEI gloriâ potissimum laborabant.

141. Sed respondeo, argumentum hoc procedere ex puris particularibus. Non enim sequitur, aliquos non dotavit Pontifex Romanus: Ergo nullos dotavit, & per consequens ei hæc Nota AntiChristianæ tribui nequit; Daniel enim expressè fatetur, quod non omnes ditatus sit: sed quos novit, i.e. quos dignos judicabit, & suo instituto maximè idoneos ministros. Etsi igitur illi, quos nominat Bellarm. d. l. à Papâ non fuerint ditati: attamen constat, nullum ex ipsis tam pauperem fuisse quin diutor extiterit, quovis etiam fidelissimo apud nos Ecclesiæ Ministro.

142. Tertiò persecutioes quod attinet, notum est, & experientia quotidie comprobatur, tantas etiamnum adversus Christianos sub Papatu concitari persecutioes, ut Pontificii omnem humanitatem deposuisse, & ferociis ferocissimis ferociores esse videantur.

143. Quambis igitur Beccanus cap. 12. & hanc Notam neget, inquiens, Papam non sanctos interficere: sed hæreticos duntaxat, quos interficere legibus divinis & humanis concessum est.

144. Respondeo, non sufficere, ut nos hæreticos clamitet: sed ipsi hoc prius esse probandum, & nullius planè sunt ponderis & valoris argumenta, quæ adducit ex Exodo 32. v. 27. ubi Moses tria millia hominum propter idololatriam vituli Lebitarum operâ interfici curat. Item Eliæ, qui 1. Reg. 18. v. 40. cessante Magistratu politico potestate extraordinariâ fungens, Sacerdotes Baalis interfecit, Item Jehu 2. Reg. 10. v. 1. qui à DOMINO delectus totam Achabifamiliam propter idololatriam penitus excidit, & Sacerdotes Baalis ad unum trucidavit: nec non Matathia, qui quendam Ju-deum idolis sacrificantem interfecit, 1. Maccab. 2. v. 24.

145. Nam tūm temporis peculiaris fuit ratio, & pertinent ista exempla ad præcepta Legum forensium in populo Judaico, quæ in N. T. nos minimè obligant, neq; etiam latius sunt extendenda, alias hoc absurdî sequeretur, quod non tantum hæretici & hæresiarchæ: sed etiam omnes credentes, hæreticis & falsis opinionibus seducti, trucidandi essent. Nam in exemplis allatis & idololatræ & omnes non querentes DOMINUM Iudaïs, interfici jubebantur, sine ullo vel atatis vel sexus discrimine: jam verò adversarii ipsi distinguunt, inter hæreticos, & illis credentes, ut illos tantum asperitati poenæ subjiciendos judicent, hos verò excipient.

146. Ad reliqua, quæ addit, de crudelitate Nobatorum, quos multos jam annos sibi scribit, carceribus & flammis, & aliis inusitatissimi suppliciis in Catholicos Pontificios, in Angliâ, Holanda, Gallia & alibi. Respondeo, in plerosq; sicutum, eosq; ad supplicia raptos esse non Religionis, sed Regionis, i.e. prodigionis & seditionis causa.

OCTA

OCTAVA NOTA

Ab AntiChristi revelatione & excidio,

*Quod AntiChristus ultimis mundi temporibus revelatus, non nisi CHRISTI
adventu abolendus sit.*

147. Octava & ultima AntiChristi Nota est, quod ultimis mundi temporibus Spiritu oris CHRISTI, i. e. per ministerium Evangelii conficiendus, & toti mundo manifestandus sit, donec tandem Filius DEI in illustri suo ad judicium adventu funditus illum excidet, & lucis suæ radiis ejus tenebras, i. e. impietatem, idolomaniam, blasphemias, haud aliter dissipabit, atq; Sol exoriens nebulas densissimas dissipat & infringit.

148. Quia verò & hæc Nota in Pontifice Romanojam clarissimè conspicitur; siquidem per prædicationem Evangelii virtute quidem DEI, operâ tamen & ministerio D. LUTHERI, tanquam insignis illius reformatoris, quem Johannes Apoc. 14. v. 7. vidisse scribit, tanquam Angelum volantem per medium cœli, habentem EVANGELIUM æternum, prædicati, ita detectus est mundo, ut non modò in multis privatorum hominum: sed etiam populorum cordibus rideatur. Quis, quo amplius cerebrum suum ita sibi fascinari patiatur, ut cum Pontificiis cœciat, & alium sibi AntiChristum præter Romanum Pontificem imaginetur.

149. Proindè ex Notis hisce simul sumtis, indubitatò & firmiter concludimus Caput hoc primum, afferentes, Papam esse AntiChristum Magnum, quem tempore N. T. exoriturum Daniel Spiritu batidico, & post bunc CHRISTUS ipse, Paulus, Petrus & Jobannes ex Spiritu sancto prænunciaverunt.

CAPUT ALTERUM

avulsiōnōv.

150. Absoluta igitur disputationis hujus parte priori, operæ precium nos quoq; facturos esse existimamus, si ad examen descenderimus eorum argumentorum, quibus pro palliādo errore suo Pontificii uti consueverunt. Illi autē, ut eò melius hanc suspicionem à suo Pontifice amoliantur, negant simpliciter, AntiChristum etiamnum venisse, ex quibus primas tenere videtur Robertus Bellarminus, qui lib. 3. de Pont. Rom. cap. 3.4.5.6.7.8. & 9. hanc sententiam propugnat sex distinctis argumentis, quas breviter Colophonis loco subjiciamus & refutabimus.

151. Primam igitur demonstrationem, quod nondum venerit AntiChristus, sumit ex primo signo antecedente, AntiChristum, Scriptura, inquit, testantur in toto mundo, prædicandum Evangelium, antequam veniat ultima persecutio, quæ excitabitur ab AntiChristo, Matth. 24. v. 14. Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus. Ex hoc principio talem nobis demonstrationem formare videtur:

Antequam veniet AntiChristus, prædicitur Evangelium in toto orbe.

Sed nondum prædicatum est nostro hoc tempore Evangelium in toto orbe.

Ergo AntiChristus nondum venit.

152. Verū respondeo, & majorem & minorem laborare. Major enim & ejus probatio, si strictè volumus agere, & seriem verborum respicere, propriè non loquitur de ea prædicatione quæ adventum CHRISTI præcessura erat: sed maximè de ea

de eâ, quæ præcedere debebat tempus vastationis templi Hierosolymitani, quem admodum ex ipso contextu manifestè liquet. Sed posito, adversariis hoc concedatur: parum tamen aut nihil exinde concludent, cùm ipsa *Minor* propositio manifestè sit falsa. Prædicatum enim esse Evangelium jam tûm, cùm Apostoli adhuc viverent, in toto mundo, testem habemus omni exceptione majorem ipsum Apostolum in Epistola Coloss. 1. v. 6. & 23. dicentem: suo tempore jam tûm prædicatum esse Evangelium apud universam creaturam, quæ sub cœlo sit. Et ut de eâ prædicatione, tempore Apostolorum factâ, nihil dicamus, nonnè quæso ipsos adversarios fateri oportet, à tempore LUTHERI præsertim, doctrinam EVANGELII, partim per ipsum, partim per ejus successores in Christianum orbem ita sparsam esse, ut nullus sit fermè angulus orbis Christiani, in quem non fama doctrinæ Evangelii per LUTHERUM repurgatae, dimanaverit, etiam ad illas Ecclesias, quæ tamen Pontificem pro capite suo non agnoscent.

153. *Negat est quod adversarij regerat, 1. doctrinam Evangelij nunquam omnibus omnium temporum & locorum hominibus prædicatum fuisse;* illud enim fit per accidens, propter contemnum & ingratitudinem vel propriam, vel superiorum seculorum, ut alibi hoc ostenditur. 2. *Doctrinam Evangelij nunquam fuisse ab omnibus populis orbis receptam:* CHRISTUS enim non dicit, Evangelium receptum iri ab omnibus, sed prædicatum in toto mundo omnibus gentibus, idq; in testimonium ipsis, ut juxta dictum Apostoli sint inexcusabiles.

154. *Alteram demonstrationem, quâ probare gult Bellarminus lib. 3. cap. 5. AntiChristum nondum venisse, sumitur ab omnimoda Romani Imperii desolatione, que desolatio, cùm nondum facta sit aut generit, concludit AntiChristum quoq; non venisse.*

155. Sed respon. & hoc argumentum falsitate laborare, tûm in *Majore*, tûm in *Minore*. *Majorem* enim simpliciter negamus, utpote quæ nullum habet fundamentum in Scripturâ. Nam locus ille 2. Thess. 2. v. 3. non loquitur de Romani Imperii desolatione aut cessatione, utpote cuius in toto isto capite ne verbulo quidem fit mentio: Verum cum verba intelligenda sint secundū subjectam materiam, quæ tractatur, & Paulus de defectione à fide ultimis temporibus, adveniente AntiChristo, futura, ut ex toto contextu patet, loquatur, nihil planè roboris in hoc argumento inveniet adversarius. Ad locum Apocalypseos quid respondendum sit, patet ex iis quæ supra diximus.

156. *Ad Minorem* respondeo per concessionem, asserens, opus omnino fuisse, aliquâ Romani Imperii dissipatione ante revelationem AntiChristi. Absq; illâ enim si fuisset, AntiChristus Romanus nunquam ad id dignitatis fastigium potuisset emergere: verum perperam facit Bellarminus & ejus asseclæ, qui de totali & omnimoda dissipatione hoc accipiunt. Nuspianum enim in Scripturis legitur, quod Romanum Imperium prorsus debeat everti ante exorientem AntiChristum: sed contrarium potius Daniel expressè vaticinatur, dum Monarchiam istam (licet infirmis pedibus stantem) ad mundi usq; finem duraturam pronunciat.

157. *Tertiam demonstrationem explicare conatur cap. 6. Bellarminus ex aduentu Henoch & Eliae, qui adhuc vivunt & ad hoc, (inquit,) vivunt, ut venienti AntiChristo se opponant, & conservent electos in fide Christi, & tandem Judeos convertant: quod tamen certum est, nondum esse impletum.*

158. *Verum si unquam fabulatur Bellarminus, certè hic nil nisi fumos vendit.*

E

Nam

Nam dictum Malachiae quod attinet, ex cap. 4. de adventu Eliæ, illud complementum suum sortitum est in Johanne Baptista, testè Angelo Iuc. i. v. 17. & CHRISTO Matth. ii. v. 10. & cap. 17. v. 11. ubi Christus disertis verbis fatetur, Heliam jam venisse, v. 12. & 13. i. e. Johannem. Ad alterum dictum quod attinet Ecclesiast. 44 quo fabulam hanc stabilire conatur Bellarminus, Respond. Nihil ibi vel de Anti-Christo, vel de hujus tempore ac regno agi: sed locum esse obscurum præser-
tim in Latinâ versione; sensum tamen hunc gignere, quod exemplo isto Henochi speculum nobis proponere voluerit DOMINUS emendandi vitam & pię
sancteque vivendi, id quod pœnitentia nomine innuitur. In tertio loco ex Apocalip. ii. de duobus testibus simpliciter petit principium: siquidem Apostolus mentionem tantum facit duorum testium, ne verbulo autem Eliæ aut Enochis meminit. Dicimus igitur, per illos ipsos intelligi quosvis fideles & acerrimos regni Christi defensores, de quibus pronunciat Johannes, eos fore occisum à bestiâ. Jam verò absurdum est dicere, Enochum & Eliam personaliter reddituros esse, ut occiduntur, siquidem impossibile est eos occidi, qui corpora obtinent glorificata, quæ nullis amplius subiecta sunt mutationibus, nedium morti.

159. Quartam demonstrationem sumit Bellarminus cap. 7. ex eo, quod certum sit, AntiChristi persecutionem fore gravissimam & notissimam, ita ut cessent omnes publicæ Religionis ceremonia, sacrificia: hac verò, cum nondum videamus, colligit inde AntiChristum quoq; non venisse.

160. Respond. Concedimus i. quidem Bellarmino, persecutioes magnas easq; gravissimas futuras esse tempore AntiChristi: sed in eo vehementer errat, quod subsumit, cessaturas esse ideò omnes prorsus ceremonias, & omnia pietatis exercitia. Colligitur enim hoc exinde sine omni ratione, & absq; omni fundamento. Locum Danielis quod attinet, de jugi sacrificio, loquitur is de Antiocho, qui Leviticum illud sacrificium Num. 24. præceptum aliquandiu abrogatus erat.

161. Si autem insit adversarij, Antiochum istum fuisse typum AntiChristi N. T. tempore exorituri Respond. Typicè hoc ad Papam facili negocio posse accommodari, quatenus videlicet is sacrificium illud semel in arâ crucis à CHRISTO præstatum, per versis suis dogmatibus corrumpere, ejusq; efficaciam enervare non vereatur, substituens ejus loco aliud sacrificium, nempè Missam, & ascribens ei omnem vim nostræ salutis; quæ tamen non nisi in unico cruento sacrificio crucis CHRISTI fundata est.

162. Quintam demonstrationem sumit Bellarminus cap. 8. à duratione AntiChristi, AntiChristus, inquit, non regnabit, nisi tres annos cum dimidio. At Papam regnabit spiritualiter plus quam M. D. annis, nec potest assignari ullus Pontifex, qui sit habitus pro AntiChristo, qui præcisè regnaberit tribus annis cum medio. Non igitur venit AntiChristus, & proindè nec Papa AntiChristus est

163. Verum resp. Antecedens simpliciter esse falsum, quod licet Bellarm. ex Apocal. cap 12. probare conetur, ubi dicitur AntiChristus duraturus per tempus, per tempora, & in dimidium temporis: dubium tamen non immerito est, an per illum tempus & tempora intelligendi sint tres anni cum medio. Somnium procul dubio est, in gratiam sedis Romanæ ex conjecturis quorūdam Patrum excogitatum, ut Notas AntiChristi, quas Spiritus sanctus ipsi inussit, vel planè deleat, vel saltu obducat, ne is in lucem protractus pro AntiChristo ab omnibus agnoscatur, sed adhuc

adhuc aliquandiu latere possit. De autoritatibus verò nonnullorum Patrum, quos adducit Bellarminus, quid sentiendum sit, ex supra allatis clarum est.

164. Sextam & ultimam demonstrationem, quā probare nititur, Antichristum nondum venisse, sumit Bellarminus cap. 9. ex ultimo signo consequente Antichristum, quod erit mundi consummatio. Nam Antichristi adventus erit paulò ante finem mundi: Ergò, inquit, si Antichristus jam dudum venisset, deberet mundus jam dudum esse finitus, Dan. 7.

165. Sed resp. falsum esse & hoc Bellarmini dogma de AntiChristo, id quod vel inde patet, quod Apostolus 2. Thess. 2. v. 7. suo tempore jam operari mysterium iniquitatis affirmat. Et Johānes 1. cap. 4. dicit Antichristum jam venisse. Nec obstat, quod Antichristus dicitur venturus tempore novissimo. Ulti supra enim dictum est, tempus novissimum vocatur in Scripturā ultima pars temporum mundi, à C H R I S T O in carnem exhibito, ad finem usq; seculi, i. Joh. 2. v. 18. Locus Dan. 7. & Apocal. 20. à Bellarm. adductus, minimè exponi debent de Antichristi regni constituti tempore: sed potius de ipsius detectione. Hæc sunt argumenta illa prima ria, quibus probare vult Bellarminus, Antichristum nondum venisse.

166. His ultimo loco adjungimus fabulam illam de Antichristo ex tribu Dan oriundo, quam etiam Bellarminus probabilem esse dicit. lib. 3. de Pont. Rom. cap. 12. Hæc enim, licet ex Patrum conjecturis, quas de Antichristo conceperant, cum adhuc (ut verbis Danielis utamur) clausa essent & obsignata ista vaticinia, orta sit: quia tamen Pàtres ipsi non dissimularunt, se tantùm suas proferre opiniones, nec defendere pro certis & indubitis, ineptè faciunt Romanenses, quod ex iis certum dogma stabiliri laborent, Patrumq; conjecturas pro certis pronunciatis vendere non vere antur.

167. Nec quicquam juvat Bellarminum locus Gen. 49. & Jerem. 8. ubi dicitur de Dan, quod sit futurus coluber in via. Aliud enim est dicere; Dan colubrum fore, aliud verò Antichristum venturum ex tribu Dan. Prius libenter largimur; posterius verò, ne levissimā quidem consequentiæ ratione probare poterit adversarius. Proinde iterum concludimus & caput hoc posterius, afferentes, ineptè facere Romanenses, quod suas nugas pro meritis & veris demonstrationibus venditent, idq; citra ullum prorsus Scripturæ testimonium, eum duntaxat in finem, ut hisce fabulis in expectationem alterius Antichristi erecti, homines Papam Romanum pro vero Antichristo non agnoscant.

D E O sit laus & gloria, quod filium hunc peccati ac perditionis nobis rebelarit: ultimis hisce temporibus, per puram doctrinæ & V A N G E L I I prædicationem, quam puritatem, ut in posterum etiam conservet, neq; vel nos, posterosq; nostros, in pristinas errorum tenebras absorberi, vel semel accensam Veritatis lucem, ullis corruptelis obnubilare sinat, unicè preventur.

F I N I S.

... in dico quod non sicut in aliis scripturis etiam in
scriptura nostra est deus qui dicit deus tu es et
deus noster. Et deus dicit deus tu es et deus noster.
Et deus dicit deus tu es et deus noster.

Ier homini iustificari ab ergo in malo non debet. Tunc dicitur. Tunc
enim si quis dicit omnes sunt peccatores. Tunc dicitur. Tunc debet
dicitur. Tunc dicitur. Tunc dicitur. Tunc dicitur.

... in dico quod non sicut in aliis scripturis etiam in
scriptura nostra est deus qui dicit deus tu es et
deus noster. Et deus dicit deus tu es et deus noster.
Et deus dicit deus tu es et deus noster.

... in dico quod non sicut in aliis scripturis etiam in
scriptura nostra est deus qui dicit deus tu es et
deus noster. Et deus dicit deus tu es et deus noster.
Et deus dicit deus tu es et deus noster.

... in dico quod non sicut in aliis scripturis etiam in
scriptura nostra est deus qui dicit deus tu es et
deus noster. Et deus dicit deus tu es et deus noster.
Et deus dicit deus tu es et deus noster.

... in dico quod non sicut in aliis scripturis etiam in
scriptura nostra est deus qui dicit deus tu es et
deus noster. Et deus dicit deus tu es et deus noster.
Et deus dicit deus tu es et deus noster.

214







